

220.15
F 323

DE EVANGELIORUM INSPIRATIONE
DE DOGMATIS EVOLUTIONE
DE ARCANI DISCIPLINA.

P. Reginaldus M. FEI o. p.

Professor in Universitate Friburgensi apud Helvetios.

DE EVANGELIORUM INSPIRATIONE

DE DOGMATIS EVOLUTIONE

DE ARCANI DISCIPLINA.

Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci.
Heb. xiii, 9.



PARIS
Gabriel BEAUCHESNE & C^ie^, Éditeurs
ANCIENNE LIBRAIRIE DELHOMME & BRIGUET
117, Rue de Rennes, 117

1906
Tous droits réservés.
DÉPÔT A LYON : *3, Avenue de l'Archevêché*

26271

IMPRIMATUR.

Parisiis, die 22 Junii 1906

P. FAGES, v. g.

IN NOMINE DOMINI. AMEN

Nos infrascripti, de mandato Rmi Magistri Ordinis Praedicatorum opus « De Inspiratione Evangeliorum » a R. P. F. Reginaldo Fei in Universitate Friburgensi Professore conscriptum, diligenter examinavimus, atque testamur doctrinam in eo expositam cum fide catholica, Pontificiis litteris et D. Thomae principiis plane consonam esse.

Romae in Conventu S. M. supra Minervam die 17 Maii 1906.

F. Vincentius Aloy. Nardelli
S. Thomæ Bacc. et S. Sripturae Lector.
F. Ludovicus Joseph Fanfani
Lector Theologiae.

Attenta Revisorum supra scriptorum approbatione opus ad quod refertur typis permittimus dari.

P. Giacinto m. CORMIER.
O. P.

PAUCA VERBA AUCTORIS.

Cum nostris temporibus, Evangeliorum studium penes catholicos quam maxime creverit, iterum agitata fuit, et diversimode soluta quæstio de « divina Evangeliorum inspiratione. »

Pariter cum diebus nostris, ab Ecclesiæ inimicis, multa contra eius dogmata obiicierentur, nonnulli ex catholicis ut expeditius difficultatibus respondere possent, theoriam de « Dogmatis evolutione » statuere conati sunt.

Denique cuique notum est, quanti valoris et necessitatis simul sit, cognoscere an de facto, primis Ecclesiæ sæculis « Disciplina arcani » viguerit.

In hoc parvo opusculo, placet nobis de divina Evangeliorum inspiratione, de Dogmatis evolutione, necnon de Arcani disciplina breviter agere, resumendo ea, quæ a modernis scriptoribus circa has quæstiones dicta sunt.

Valeant pro omnibus verba Apostoli (Heb. XIII, 9) « Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. »

Friburgi Helvetiorum die, 28 Januarii 1906.

DE EVANGELIORUM INSPIRATIONE

PROLOGUS.

1. **Concilium Vaticanum de S. Scripturae libris sancivit :** « Propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem. » (Denzinger, 1636). Hinc catholicorum studia, circa divinae inspirationis naturam investigandam. Propter haec diversa studia, nec non propter divinae inspirationis incomprehensibilitatem, innumerae sententiae, tum penes protestantes, tum penes catholicos circa inspirationem ortae sunt. Juxta protestantes orthodoxos, inspiratio est « quaedam immediata illuminatio Spiritus Sancti » ; juxta vero protestantes « liberales » est aliquid « mere naturale. » (1)

Non immoramur in protestantium sententiis examinandis, neque nobis in animo est omnes catholicorum sententias circa divinae inspirationis naturam eiusque extensionem afferre, esset siquidem « magnae molis opus » ; sed ex hisce, principaliores solummodo recensebimus. In primo capite igitur fiet sermo :

De Inspirationis natura ;

in secundo :

De Evangeliorum inspiratione ;

in tertio :

De Inspirationis extensione.

(1) Cf. Schäfer. *Katechismuslehre*, §§ 3,4.

CAPUT I

DE INSPIRATIONIS NATURA.

2. Variae inspirationis divinae definitiones. — Juxta E. Levesque (1) inspiratio est « actio quaedam supernaturalis Dei causae primae, quae de scriptore sacro, in momento quo scribit, accipit totale dominium, quaeque rursus omnes facultates eius movet ac dirigit, relinquendo illi liberum et personale earumdem facultatum exercitium, atque faciendo ei concipere, velle, et exequi, ea quae vult. Scriptor est causa omnium quae in libro inspirato sunt ; Deus etiam est causa et quidem principalis eorumdem ». P. Brucker (2) tenet, divinam inspirationem consistere in tribus operationibus, idest, in illuminatione quadam intellectus, in motione quadam voluntatis, in quodam influxu, per continuam, assistentiam, dato in scribendo. Non aliter sentit Franzelin (3) dum ita se exprimit « Inspiratio ad scribendos sacros libros essentialiter constitisse videtur in charismate gratis dato illustrationis et motionis, quo veritates quas Deus per Scripturam Ecclesiae tradere voluit, mens hominum inspiratorum conciperet ad scribendum, et voluntas ferretur ad eas omnes et solas scripto con-

(1) *Revue biblique,* 1895, p. 423.

(2) *Questions actuelles d'Ecriture sainte.* Inspiration des écrivains bibliques p. 28.

(3) *De div. Script.* thes. III.

signandas, sicque elevatus homo tamquam causa instrumentalis sub actione Dei causae principis consilium divinum exsequeretur infallibili veracitate ».

Juxta P. Pesch (1) inspiratio consistit in supernaturali influxu, quo Deus movet intellectum et voluntatem hominis ad ea scribenda, quae Deus suo nomine scribi et ecclesiae tradi vult, et in supernaturali adiutorio, quo hominem juvat ad res apte scribendas.

P. Zanecchia (2) examinatis et rejectis variis divinae inspirationis notionibus haec scribit « Inspiratio biblica videtur sic esse definienda : est influxus divinus physicus et supernaturalis elevans et movens facultates hominis, ut scripto consignentur Ecclesiae, propter bonum et utilitatem eius, ea quae Deus vult et modo quo vult. » Juxta vero S. Thomae sententiam addit ipse, inspiratio biblica ita magis breviter definiri posset « Est supernaturalis elevatio ac motio facultatum hominis, quibus scripto consignantur Ecclesiae ea quae Deus vult, et modo quo vult. »

P. Lagrange (3) mordens Patrem Pègues, atque uti ipse, fatetur, principiis S. Thomae ac Card. Zigliara explicationibus insistens, hanc divinae inspirationis notionem tradit. « Appellamus inspirationem, elevationem quamdam spiritus (de l'esprit). Cum inspirationis obiectum sit, facere libros scribere, Deus instrumentum suum eligit, ipsum determinat ad scribendum ; postea lumine quodam supernaturali ita intellectum eius elevat, ut causetur in ipso infallibile judicium de obiectis, sive per suggestionem sive per viam natura-

(1) *Instit. prop. ad. S. theol.* prop. LVIII.

(2) *Divina Inspiratio S. Script.* n. 75. Cf. etiam scriptor sacer sub. d. insp. eiusdem Auctoris dum P. van Kasterem respondit.

(3) L'inspiration des livres saints, *Revue biblique*, 1896, p. 214-219. La méthode historique, troisième Conférence.

lem, sive per revelationem, cognitioni illius propositis. Lumen hoc divinum facit pariter ei cognoscere opportunitatem scripto consignandi obiectum suum, atque scriptorem illuminat circa convenientem expressionem veritatis. Post judicium practicum, voluntas, proportionato modo est a Deo inclinata, quamvis ipsa se libere determinet, ad ea scribenda quae Deus ipsi proposuit. »

P. Calmes definit divinam inspirationem sequenti modo : « Inspiratio est specialis motio Spiritus Sancti, quae in scriptore exercetur, ita voluntatem eius determinans atque facultates dirigens ut ipsi faciat scribere quae Deus vult ut scribantur. » (1)

Juxta Leonem XIII, inspiratio est motio quaedam specialis Spiritus Sancti, qua scriptores inspiratos « ita adscribendum excitavit, et movit, ita scribentibus adstitit ut, ea omnia, eaque sola quae ipse juberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent : secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae » (2). Traditis hisce variis definitionibus inspirationis divinae, modo natura divinae inspirationis aliqualiter investiganda est, juxta diversimode sentientes et opinantes.

3. **Natura inspirationis divinae juxta P. Hurter, Pesch et d'Hulst.** — Circa essentiam divinae inspirationis P. Hurter (3) sequentia tenet. *a*) Inspirationem non excludere humanum studium, laborem, cooperationem hominis, dummodo supernaturalis illustratio et directio Dei, efficiat ut menti hominis inquirentis et scribentis ea omnia et sola ad scribendum occurrant, et voluntas ad

(1) Providentissimus Deus, 18 nov. 1893.

(2) *Qu'est-ce que l'Ecriture sainte ?* chap. II.

(3) *Theol dog.* tract. II, De Script., c. I, n. 237.

ea omnia et sola scribenda moveatur, quæ scribenda divinum comprehendit consilium. *b*) Ad inspirationem non requiri revelationem proprie dictam, sed sufficere ut nutu et directione divina scriptor ex iis, quæ propria didicit experientia vel diligenti collegit studio ea literis consignet, quæ Deus consignata vult. *c*) Ipsa inspiratione divina hominem inspiratum ab errore in seligendis vocabulis idoneis praeservari. Proinde, concludit in Nota, ad inspirationem quadruplex requiritur elementum : 1 motio voluntatis ad scribendum ; 2. illustratio intellectus, vi cuius scriptoris mens ea omnia concipiat quæ Deus scribi vult ; 3. directio divina, ne scriptor inspiratus aliqua ex iis quæ Deus literis consignata vult, omittat, multoque minus ne quid addat alienum ; 4. assistentia, ne scriptor adhibeat verba inepta ad sensa divinitus concepta exprimenda. Non alia videtur esse mens Franzelin et P. Brucker.

P. Pesch (l. c.) ad rationem inspirationis distinctius explicandam ita procedit. *a*) Deus, ut sit auctor alicuius libri debet ipse statuere, quid scribendum sit, et homine uti ut instrumento. Quia autem homo est instrumentum vivum, motio quæ a Deo ut causa principali communicatur cum instrumento, fit per intellectum et voluntatem. *b*) Motio Dei in intellectum scriptoris sacri, non necessario eadem est in omni materia scribenda. Potest nimirum accidere, ut Deus velit scribi res, quæ homini sunt prorsus ignotae, neque naturaliter ab eo cognosci possunt. In hoc casu Deus debet imprimis homini res scribendas revelare, ut accidit in prophetis. At fieri quoque potest, ut homo res scribendas jam aliunde noverit. Quod si evenit nequaquam nova revelatione opus est : sed sufficit ut Deus illustret intellectum scriptoris, ut hic intelligat,

quid scribendum sit. *c*) Neque ex hoc statim concludi potest hominem inspiratum necessario esse conscium inspirationis supernaturalis, cum aliarum quoque motionum supernaturalium homo conscius non sit. *d*) A Deo, ut auctor princeps libri sit, voluntatem humanam movendam esse ad scribendum per se evidens est ; neque enim potest Deo auctori attribui, quod praeter eius voluntatem fit. *e*) Manet tamen sacer scriptor per se omnino liber neque necessario extra se rapitur vel alienationem a sensibus patitur, in qua loquatur vel scribat, quæ ipse nulla ratione intelligat. *f*) Deus assistentia sua scriptorem sacrum juvare debet, ut infallibiliter sint vera, quæ scribit ; nam Deus non potest velle ut suo nomine scribantur, quæ sunt falsa. *g*) Deus debet velle, ut liber suo mandato conscriptus suo quoque nomine ecclesiae tradatur, et hanc suam voluntatem revelare debet. Elementa igitur inspirationis divinæ sunt, ex parte Dei inspirantis, 1. Motio ipsius Dei in intellectum. 2. Motio Dei in voluntatem scriptoris. 3. Dei assistentia. 4. Dei voluntas manifestata per revelationem ut liber sacer, ecclesiae suo nomine tradatur. Ex parte vero scriptoris inspirati, 1. Ignorantia inspirationis supernaturalis. 2. Exercitium propriae libertatis.

Aliud est, inquit d'Hulst (1) revelare, et aliud inspirare. Revelatio est magisterium divinum quod nonnisi circa verum esse potest ; inspiratio autem est actio movens atque determinans scriptorem sacrum ad scribendum, ipsumque dirigens et compellens, atque super ipsum vigilans. Motio haec, juxta hypothesim, quæ modo est explicanda, scriptorem sacrum ab omni errore in rebus fidei et morum praeservat, eosdemque

(1) La question biblique. *Correspondant*, 25 janv. 1893, p. 220-223. Cf. P. Prat. *La Bible et l'histoire* chap. 1. 2.

limites habet ac Ecclesiae infallibilitas. Inenarrantiae promissio ideo Ecclesiae facta est, ut videlicet nobis cum certitudine proponeret, fidei obiecta ac morum regulas. Scriptura sacra non solum infallibilis est sicut Ecclesia sed est rursus inspirata. At si inspiratio ad omnia se extendit, confert ne infallibilitatem omnibus auctoris sacri dictis, vel privilegium hoc solummodo rebus quæ mores et fidem respiciunt, reservat : dum caetera sunt tantum uti via ad fidei et morum doctrinas, vel Deus qui inspiravit, quamvis scriptoris sacri errores materiales corrigere potuisset, judicavit tamen utile esse, hoc non facere ? In sacrorum librorum compositione semper recognitum fuit, elementum humanum esse elemento divino subordinatum. Commentatores omnes, omnesque Ecclesiae Patres, differentias styli, ingenii necnon intellectualis praeparationis, in sacris scriptoribus animadverterunt. In libro Geneseos et Regum ex. g. non inveniuntur forsitan repetitiones ac proportionis defectus ? Haec omnia facile explicantur, si dicamus auctores sacros contra naturalem debilitatem habuisse divinum auxilium, solummodo in rebus ad fidem spectantibus. Non explicantur vero si dicamus omnia esse Spiritui Sancto tribuenda, talique modo in instrumentum agere, ut ipsum veluti passivum reddat. Opus totaliter divinum, totaliter perfectum esse oportet. Nunc vero, pluribus consentientibus defectus in eligendo vel componendo scriptum aliquod (une faute de goût, de composition) aliis verbis defectus artis in quodam scripto, mayor est, quam historiae defectus.

4. Natura inspirationis juxta P. Zanecchia et P. Lagrange. — Inspiratio a P. Zanecchia (*loc. cit.*) vocatur *a*) Influxus, genus valde supremum ac remotum, quod, per verba

« divinus, physicus, et supernaturalis » redditur genus proximum definitionis. Inspiratio enim biblica est vera gratia gratis data et revocatur ad gratiam prophetiae genericae sumptae. *b*) Praedictum genus proximum definitionis incipit specificari per verba « elevans et movens facultates hominis » quibus determinatur quod Deus influens se habet in inspiratione ut causa efficiens principalis, cui intrinsece competit elevare ac movere virtutes activas causae instrumentalis et elevare, praesertim dum effectus producendus excedit virtutem propriam instrumenti. *c*) In inspiratione biblica Deus utitur homine ad efficiendum opus etiam origine divinum, ad efficiendam nempe Sacram Scripturam. Conficere autem opus origine divinum est actus qui quantum ad sui substantiam est supra naturam humanam. Proinde, secundum sententiam S. Thomae, in inspiratione biblica Deus per influxum supernaturalem debet elevare omnes hagiographi facultates quae concurrunt ad tale opus supernaturale efficiendum, illasque elevatas conservare quoadusque integrum opus non sit expletum. *d*) Quia motio divina facit quod creaturae intellectuales et rationales se moveant ac se determinent ad agendum, ideo, quando Deus elevat facultates hagiographi easque applicat, movet et dirigit donec opus, id est sacra Scriptura, sit expletum, oportet quod integra sacra Scriptura tribuatur principaliter Deo et instrumentaliter vel secundario hagiographo, quia tota est producta a Deo ut a causa efficiente et ex se operante, et tota est producta ab hagiographo ut a causa efficienti instrumentali ac operante physica et actuosa virtute divina sibi impressa. Haec est per summa capita natura divinae inspirationis, a P. Zanecchia enucleata, quam postea successivis capitibus subtiliter investigat, insistendo continuo theoriis Scholae.

Veniamus modo ad notionem inspirationis a P. Lagrange (*l. c.*) traditam. Inspiratio *a*) significat motionem voluntatis quae Spiritui Sancto tribuitur, et prouti Angelicus ait : « Inspiratio pertinet ad affectum. » *b*) In inspiratione dari potest, elevatio quaedam intellectus, qui ita roboratur et elevatur ut possit perfectius obiectum suum intelligere. Hoc autem, nonnisi mediante aliquo lumine fieri potest. Adest igitur differentia inter revelationem et inspirationem, vel instinctum (1). Nam in revelatione « de his quae expresse per spiritum prophetiae propheta cognoscit maximam certitudinem habet, quod haec sunt divinitus sibi revelata » dum e contra in inspiratione « ad ea quae cognoscit per instinctum (inspirationem) aliquando sic se habet, ut non plene discernere possit, utrum hoc cogitaverit aliquo divino instinctu, vel per spiritum proprium : non autem omnia quae cognoscimus divino instinctu, sub certitudine prophetica nobis manifestantur, talis enim instinctus est quiddam imperfectum in genere prophetiae. » Differentia igitur inter revelationem et inspirationem consistit in hoc quod in revelatione lumen est cognitum tamquam divinum, non vero in ipsa inspiratione.

Alia quoque differentia inter revelationem et inspirationem assignari potest. In cognitione enim duo sunt « acceptio cognitorum et judicium de acceptis » ; et cognitio completa nonnisi in judicio haberi potest ; quod quidem judicium praesentiam obiecti supponit. Porro modus praesentiae obiecti, diversus est in revelatione ac in inspiratione. Siquidem Deus, vel manifestat

(1) « Inspiratio, scribit Zigliara (*Prop. ad S. theol.*, l. II. c. 1, n. 1) universaliter sumpta idem est ac instinctus. » P. Lagrange, in expositione theoriae suae, utitur quandoque verbis Zigliara quem vocat « magnum interpretem et discipulum S. Thomae ».

novum obiectum, non tribuendo lumen ad judicium ferendum circa ipsum, vel dat lumen ad judicandum de obiecto aliunde mediis naturalibus cognito, vel manifestat novum obiectum et simul dat lumen ad judicandum, vel denique veritatem manifestat, sive mediante visione corporali vel imaginaria vel intellectuali. In primo casu simplex instinctus, hoc est, revelatio imperfecta habetur: in secundo nulla est revelatio, sed solummodo lumen ad judicium cum certitudine ferendum; in tertio est revelatio proprie dicta; in quarto Deus est qui loquitur et completa revelatio habetur, id est « Divina manifestatio ignoti ei cui fit revelatio, cum acceptione et judicio de acceptis et cum certitudine de revelatione et de revelatis. » Contra inspiratio, juxta suam genuinam notionem, et in qua sola animæ elevatio habetur ad veritatem percipiendam absque ulla revelationis admixtione pertinet ad secundum genus actionis Dei in intellectum, in quo nempe solummodo lumen ad judicandum recipitur, ita ut possimus cum Zigliara dicere: « Inspiratio cum judicio, sed sine acceptione est vere et proprie inspiratio divina, sed est quid imperfectum in genere revelationis. » Actio igitur Dei in intellectum quæ in inspiratione habetur, consistit in elevatione mentis scriptoris tali modo facta, ut possit judicare cum certitudine divina de obiectis sibi præsentibus, quin necessarium sit, quod Deus revelet, tribuat vel suggerat ideas, vel quod scriptor sacer sciat, quod ipse est qui loquitur, ac divinam certitudinem obiecto tribuit. Ex alia vero parte, certitudo divina in judicio a scriptore prolato, et quidquid virtute divini luminis ipse affirmat, infallibilia erunt infallibilitate divinæ veritatis: Deus enim est, qui judicium certe verum causat, Deus est qui loquitur et docet. Tuti igitur sumus de sacrorum librorum veracitate. Inspiratio accepta modo a nobis

explicato nequit cum errore componi; Deus enim est qui agit in intellectum, et actio haec quamvis non sit revelatio et suggestio, est saltem lumen quoddam ad perfectius cognoscendum atque ad veri judicii prolationem. Cum autem veritas haec a Deo oriatur, divinam certitudinem participat, et magisterium divinum constituit tum pro recipiente veritatem, tum pro illo cui transmittitur, et magisterium divinum nequit cum errore componi, cum Deus nequeat falli et fallere.

Notio haec inspirationis nondum completa est. Libri sacri, non solummodo continent revelata absque ullo errore, non solummodo praediti sunt veracitate sed ulterius habent Deum auctorem. Modo auctor alicuius libri concipit ideas in libro hoc expressas, ideoque necesse est, quod scriptori sacro ideae sint suggestae. Potest tamen evenire, quod scriptor sacer jam aliunde ideas conceperit, et tunc inspiratio eas revocat ac iterum suggerit in mentem scriptoris et per hoc inspiratio a revelatione, in qua ignota manifestantur distinguitur. Actione igitur speciali Dei, ideae jam aliunde habitae scriptori sacro proponuntur, et tali modo fit, quod ideae scriptoris, sint ideae Dei. Et quamvis libri sacri dicantur « Spiritu Sancto inspirante conscripti » tamen ad hoc ut scriptor sacer librum aliquem scripserit, non fuit necessaria suggestio particularis et specialis, sed sufficiens fuit quod primam ideam scribendi a Deo habuerit.

Non aliter se explicat actio Dei in voluntatem scriptoris. Scriptor sacer non scribit nisi *a*) ea quae in lumine superiori vidit, *b*) quae Deus illi concipere fecit *c*) quae Deus vult ut scribantur, ita ut fieri possit, quod Deus, neque novam aliquam ideam scriptori sacro tribuat, neque ipsum excitet mediante aliqua motione speciali, quae motiones jam receptas praecedat. Haec

omnia sufficiunt ad hoc ut Deus auctor sacrorum librorum dicatur. Deus nempe est librorum sacrorum auctor, 1° quia per lumen divinum dat veritatem infallibilem, 2° quia per actionem supernaturalem scriptorem sacrum direxit, ad ea scribenda quae ipse voluit.

Recapitulando dicta, inspiratio est quaedam spiritus elevatio, inspirationis vero obiectum, facere scribere libros. Deus instrumentum suum eligit, ipsumque determinat ad scribendum, postea, lumine quodam supernaturali ita intellectum eius elevat, ut causetur in ipso, infallibile judicium de obiectis, sive per suggestionem, sive per viam naturalem, sive per revelationem, cognitioni illius propositis. Lumen hoc divinum, facit pariter cognoscere scriptori opportunitatem consignandi scripto obiectum suum, atque ipsum illuminat circa convenientem expressionem veritatis. Post judicium practicum, voluntas proportionato modo est a Deo inclinata, quamvis ipsa se libere determinat ad ea scribenda, quae Deus ipsi proposuit. Consequenter, Deus est auctor libri *a*) quia hominem suscitavit ad librum scribendum. *b*) Quia tribuit libro infallibilem veracitatem, non quidem per posteriorem approbationem, vel quia contenta in libro revelavit, sed quia per divinum lumen est causa judicii scriptoris sacri, quamvis nec unam ideam suggesserit. *c*) Quia scriptor sacer ex opportunitate obiectiva, quae per lumen divinum circa ideas sibi aliunde propositas resultabat, continuo directus fuit in ideis, ac idearum terminis, eligendis. Scriptor denique sacer, est auctor instrumentalis libri, *a*) quia ad ipsum pertinent ideae, vel jam habitae, vel dum scribebat acquisitae. *b*) Quia facit ea, quae alius auctor facit, sed melius. *c*) Quia neque verba neque ideae sunt ei ita imposita, ut liber-

tatem eius impediant. *d*) Quia ea quae scribit, spontaneo modo scribit.

Uti quisque videt, notio inspirationis Cl. P. Lagrange, valde complexa est, aliqualem obscuritatem sapit, verbis ambiguis, et lusibus verborum exponitur (1).

5. Natura divinae inspirationis juxta E. Mangenot, et Calmes. — E. Mangenot, innixus auctoritate epistolae Leonis XIII « Providentissimus Deus » considerat inspirationem divinam sub triplici respectu, 1° ut est in Deo inspirante, 2° ut est in scriptore inspirato, 3° ut est in libris sacris, qui sunt termini ipsius inspirationis. *a*) In Deo inspiratio divina est actio Dei ad extra, est quidam concursus, cooperatio quaedam Dei cum creatura, et quidem distincta a caeteris cooperationibus quibus Deus, cum creaturis agit. Est specialis cooperatio, quae humanae naturae exigentias superat, consequenter gratuita, non habens necessariam relationem cum salute spirituali scriptoris. Aliis verbis est gratia gratis data, extraordinaria, in se efficax, reddens scriptorem aptum ad scribendum, atque ipsum infallibiliter determinans ad libere scribendum. Efficacia huius cooperationis neque absoluta, neque sola est, sed adnexam habet cooperationem causae secundae instrumentalis. Ipsa determinat activitatem humanam scriptoris ad scribendum, elevat facultates eius, ita ut

(1) Cf. M. Dick. Lettre au P. Lagrange. *Revue biblique*, 1896, p. 485, aliumque articulum P. Lagrange, ib. p. 496. Idem auctor (*La méthode historique* etc. 3e conf. : La Notion de l'inspiration) duo animadvertit circa personam inspiratam. 1° « Il ne répugne pas que la grâce de l'inspiration ait été saisir un auteur demeuré inconnu de son temps comme du nôtre. » 2° « On admettra encore beaucoup plus volontiers, qu'on se soit mis à plusieurs pour composer un livre inspiré. Nous lisons dans les Proverbes : « Voici encore ce qui vient des « sages. » (Prov. xxiv, 23) ; ou même ce sont les gens d'Ezéchias qui recueillent les Proverbes de Salomon. » (Prov. xxv, 1.)

liber sit totaliter et integraliter Deo inspiranti tanquam causae principali, tribuendus, et simul scriptori inspirato tanquam causae instrumentali. Virtus haec supernaturalis, est transiens, agit in sacros scriptores dum scribunt, cessat statim ac liber scriptus ac compositus fuit. *b*) In sacro scriptore, difficilis est, analysis inspirationis. Theologi, innixi revelatione et ecclesiastica traditione, tria in inspiratione divina distinguunt, videlicet motionem voluntatis, influxum in intellectum actionem in facultates exequutivas ad scribendum (rédaction). 1° Motio voluntatis, est praeveniens, atque antecedens ; est vera praemotio quae sine offensa libertatis scriptorem movet ad scribendum, rursus efficaciter et infallibiliter movet ipsum ad spontanee et deliberate agendum. Motio haec quamvis physice in voluntatem agat, relinquit tamen scriptori actionem quae est ei propria ; imperio divino immediate recipitur (Ier. xxx, 2) ac in scriptore sacro causat, voluntatem fideliter scribendi, ea quae Deus scribere praecepit. Motivum determinans est divinum imperium, quamvis hoc non excludat caetera humana motiva, ut in Apostolo Paulo factum est, qui Epistolas suas scripsit motus simul a necessitatibus Ecclesiae, et ab ipso Deo. 2° Influxus in intellectum. Quamvis motio supernaturalis ad scribendum sit principale elementum inspirationis, tamen, quia Spiritus Sanctus instrumenta intellectu praedita assumit, ideo actio quaedam in intellectum ad inspirationem necessaria est. Sed quaenam est natura, actionis huius et quid est actio ista ? Saeculis xv et xvi, existimabatur actionem illam esse revelationem quamdam conceptuum et verborum.

Post Lessium, retentum fuit esse utique revelationem respectu veritatum, quae scriptori sacro ignotae erant, sed pro aliis veritatibus aliunde notis, esse illumina-

tionem vel suggestionem, vel directionem, vel Spiritus S. assistentiam, vel praeservationem quamdam, ab errore. Hodie nonnisi duae sententiae habentur. Prima tenet actionem in intellectum esse illuminationem qua Spiritus S., veritates jam cognitas, novo modo menti scriptoris praesentes reddit. Illuminatio haec, oblitas reminiscentias revocat, atque electioni attentionique scriptoris offert conceptus in ipso praexistentes et quos Deus, suos facere vult. Nulla est ibi suggestio, scriptor tamen, sub divini luminis influxu, documenta colligit, fontes examinat, veritatem clarius in se percipit, ac opportunitatem, veritatem hanc scripto consignandi cognoscit; ita ut, nonnisi ea quae Deus vult ut scribantur, scribat et sic fit, quod conceptus libri sint Dei, quia Deus hos conceptus scripto exarare fecit; sunt hominis etiam quia ipse est, qui imperio Dei, scripsit. Secunda sententia tenet, actionem divinam in intellectum scriptoris esse directionem quamdam, virtute cuius, scriptoris mens, ex veritatibus necnon ex factis, naturaliter vel ex revelatione cognitis, nonnisi ea quae Deus transmittere vult eligit. Sub directione illa, scriptor sacer active se habet, facta ac veritates tali modo ordinat et componit, ut finis, a Deo et ab ipso intentus obtineatur. Deus instrumenta ad scribendum apta eligit, voluntatemque scriptoris circa obiectum libri movet, quin libri obiectum revelet vel suggeret. Cognitiones a scriptore sacro acquisitae, in mente eius excitantur, et ipse circa libri compositionem non aliter agit ac si esset relictus in manu consilii sui. Ille est, qui librum concipit ac componit; vult tamen librum, quia Deus, ipsi velle facit; ideoque, liber compositus, quamvis conceptus ab homine, Dei est et a Deo. Actio inspiratrix, verum est, exercetur supra intellectum, non praecedit tamen motionem ad scribendum, sed

potius est effectus eius. Ipsa, non est causa quod auctor melius quam prius, res scripto mandandas cognoverit sed quod cognoverit solummodo opportunitatem, eas scribendi. 3°, Actio in facultates executivas ad librum componendum. Existimaverunt nonnulli, Spiritum Sanctum, reliquisse scriptoribus sacris omnimodam independentiam ac libertatem respectu formae tribuendae conceptibus, eis communicatis. Solummodo exigebant assistentiam quamdam, negativam ad errorem cavendum in expressione conceptuum, vel relinquebant compositionem libri directioni Spiritus Sancti in solo initio, ita ut scriptor sacer, liber maneret tum in terminis eligendis tum in regulis syntaxis applicandis. Alii exigebant positivam assistentiam quae influxum exercebat in libri compositione vel asserebant actionem inspirativam ita exerceri in facultates executivas, ut eis ad conceptus, diligenter et cum quadam vivacitate exprimendos, auxilium tribueret. Denique juxta Leonem XIII actio inspirativa « ita scribentibus adstitit ut ea omnia eaque sola quae ipse juberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent : secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae. »

c) In libris inspiratis, hoc facit divina inspiratio, ut nempe libri ipsi actione Dei et hominis conscripti, sint simul Dei et scriptoris inspirati, et sub humana loquela verbum Dei scriptum contineant. Scriptura inspirata qualis e manibus scriptoris inspirati exivit, ac mutationibus omnibus remotis quae saeculorum cursu oriri potuerunt, est infallibiliter vera, atque ab omni errore immunis. Immunitas S. Scripturae ab errore quocumque, est necessaria consequentia verae notionis inspirationis ; liber siquidem qui Deum habet auctorem, nequit errorem continere. « Tantum abest, inquit

Leo XIII (*l. c.*) ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. » Neque valet opponere Deum assumpsisse ad scribendum homines, qui fallibiles sunt, quia Spiritus S. ita ad scribendum excitavit, movit et scribentibus adstitit, ut homines ea sola quae Deus « juberet et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent : secus, non ipse, esset auctor sacrae Scripturae universae. » (1)

Juxta Calmes (2) inspiratio divina sub triplici adspectu consideranda est, in se videlicet, in scriptore sacro, necnon in libris ipsis inspiratis. 1. Inspiratio in se accepta, est actio divina ad effectum aliquem producendum destinata, non excluso tamen causae secundae interventu ; est videlicet, quaedam cooperatio Dei cum creatura (concursus) superans naturae vires. Aliis verbis, inspiratio divina in se accepta *a*) est quaedam gratia, *b*) est gratia gratis data, vel charisma quoddam ; *c*) est gratia efficax determinans hominem ad agendum, hoc est, agens aliquod principale quod concursum causae instrumentalis exigit, quod actionem humanam antecedit, atque infallibilem efficaciam habet. Brevius, inspiratio divina est gratia operans atque cooperans simul, gratis data, efficax extraordinaria. 2. Inspiratio prouti est in scriptore sacro, tangit non solum voluntatem hominis, sed etiam facultates cognoscitivas eius, uti facultatem imaginativam, memoriam, et intellectum. Quomodo vero fiat contactus iste divinae inspirationis cum voluntate et intellectu hominis, ita

(1) Cf. Vigouroux. *Dictionnaire*, fasc. XIX : Inspiration, p. 901.
(2) *Qu'est-ce que l'Ecriture sainte ?* chap. II.

explicandum est. *a*) Respectu voluntatis, actio inspirativa est interior, exercetur videlicet absque sensuum externorum interventu ; est immediata, cadit nempe directe in voluntatem ipsam scriptoris, scriptoremque ad scribendum determinat. Est antecedens, hoc est, quaedam praemotio divina ; Deus enim est auctor principalis S. Scripturae, ipsique tribuenda est, prima determinatio voluntatis ad scribendum. Ultimo, actio inspirativa est actio physica, secus esset motio indirecta, et illa omnia rursus quae in voluntate scriptoris inspirati eveniunt, explicari nequeunt, nisi ex parte voluntatis ponatur « verus ac realis impulsus, veraque motio aut inspiratio physica. » *b*) Respectu intellectus scriptoris sacri, distinguenda est, libri conceptio et elaboratio, necnon libri compositio. Inspiratio exercetur circa haec tria, sequenti modo. Circa conceptionem libri, inspiratio datur non ad cogitandum sed ad scribendum, et actio divina, nonnisi in determinatione practica scribendi intervenit. Modo determinatio quaelibet si sit actio humana, fit semper sub voluntatis imperio. Hinc de actione inspirativa respectu conceptionis libri possunt sequentia dici : Scriptor concipit librum scribendum ; concipit, quia vult librum scribere ; vult autem quia Deus facit ut ipse velit, ita ut liber sit utique ab homine conceptus, sed tamen Dei ipsius.

Circa elaborationem libri, retinendum est, quod per ipsam inspirationem non fit in scriptore sacro illuminatio quaedam uti nonnulli intellexerunt, neque cognitionis augmentum habetur. Unum solummodo fit, videlicet, scriptor sacer omnibus expensis atque examinatis ex pluribus propositis sibi, determinatur ad electionem unius prae alio. Non alius est effectus inspirationis divinae in scriptore sacro, respectu elaborationis libri.

Circa libri compositionem, actio inspirativa ita exer-

cetur. Scriptor dum scribit, recipit eumdum illum concursum, a quo in subiecti proprii electione ac elaboratione directus fuit. In terminis eligendis necnon in syntaxis usu, ipse liber est, eiusque voluntas in operis executione sibi vindicat magnam partem. Attamen, quemadmodum ea quae vult, non sola voluntate propria vult, sed etiam inspirationis divinae auxilio, et quidquid auctor sacer vult, Deus quoque per ipsum vult ; ita quidquid scriptor scribit, Deus per ipsum scribit ideoque respectu sacrae Scripturae valent verba « Spiritus Sanctus est auctor, homo vero instrumentum. » 3. Inspiratio prouti est in libris ipsis inspiratis ita concipienda est. Libri inspirati, sunt effectus inspirationis, et dum inspiratio transit, libri inspirati manent. Ex cognitione igitur sacrorum librorum ad cognitionem ipsius inspirationis recte assurgimus. Modo ex cuiusvis libri inspirati cognitione atque analysi apparet *a*) Deum, hominem specialem elegisse ut esset instrumentum in libro illo conscribendo *b*) Genium scriptoris esse fontem ex quo elementa omnia librum componentia derivata sunt, quamvis actio supernaturalis Dei, sit causa determinans, virtute cuius liber fuit conscriptus. Uno verba, character libri per originem humanam explicandus est, existentia vero eiusdem per concursum divinum. Liber est talis, quia determinati scriptoris est ; est vero determinati scriptoris quia Deus ita voluit.

6. S. Thomae mens, circa inspirationis naturam investigatur. — F. Girerd (1) non irrationabiliter fassus est, quod, non obstantibus innumeris scriptis a modernis editis circa divinam inspirationem, nullus progressus factus est, ita ut maneamus hodie, fere in notione inspirationis divinae.

(1) *Annales de Philos. Chrét.*, mars 1904, p. 621.

qualis a S. Thoma tradita olim fuit. S. Thomae mentem, conati sunt reddere praecipue P. Zanecchia, P. Lagrange, card. Zigliara, sed primus nimia subtilitate, secundus cum quadam obscuritate, tertius valde complexe. Videamus si possibile sit, mentem S. Thomae reddere, et simul ab hisce tribus defectibus praecavere.

Quia « omnia quae ad cognitionem pertinent, sub prophetia comprehendi possunt » et « prophetia secundario consistit in locutione, prout prophetae ea quae divinitus edocti cognoscunt, ad aedificationem aliorum annuntiant » ; et quia rursus « ad prophetiam requiritur inspiratio quantum ad mentis elevationem » (1) ideo S. Thomas ea quae de prophetia dicuntur, ad inspirationem applicat. Hinc :

a) Inspiratio est quaedam mentis elevatio, effecta a Spiritu Sancto. « In prophetia requiritur quod intentio mentis elevetur ad percipienda divina. Unde dicitur Ezech. II, 1 : Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum. Haec autem elevatio intentionis fit Spiritu sancto movente : unde ibidem subditur : Et ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos. Postquam autem intentio mentis elevata est ad superna percipit divina. » (II^{a} II^{ae}, q. CLXXI, art. 1. ad 4.)

b) Inspiratio est motio quaedam intellectus et voluntatis scriptoris sacri : « Nec lumen praedictum (prophetia) remanet mente, nisi quando actualiter divinitus inspiratur. Et inde est quod sancti de prophetia loquentes, de ea per modum passionis loquuntur, dicentes eam inspirationem vel tactum quemdam, quo Spiritus sanctus dicitur tangere cor prophetae... Est quaedam vis (spiritus prophetiae) aut impressio a Deo, illuminans et tangens corda prophetarum, et tunc solum

(1) II^{a} II^{ae}, q. CLXXI, art. 1, ad 4.

quando sic tanguntur, cognoscunt... Requiritur quod intentio mentis elevetur... Sicut revelatio pertinet ad intellectum, ita inspiratio videtur pertinere ad affectum, eo quod importat motionem quamdam. » (*Qd. de Verit.* XII, 1; Corinth. I, c. XIV. lect. VI; II^{a} II^{ae}, q. CLXXI. art. 1, ad. 4; Praeterea et ad 4.)

c) Motio haec intellectus est quaedam mentis illustratio, in qua aliquando scriptor sacer, habet supernaturalem acceptionem de iis quae illi erant ignota aliquando judicium supernaturale de illis quae ipsi naturaliter nota erant; ita ut adiutorium divini luminis in scriptore sacro, scribente ea quae naturaliter cognoscit, semper interveniat. *a*) Est mentis illustratio. « Sub prophetia... ea quae... possunt naturali ratione ab homine cognosci;... altiori modo manifestantur per illustrationem divini luminis... Post perceptionem divinae locutionis, qua Prophetam alloquitur interius, quae nihil est aliud quam mentis illustratio... Est impressio illuminans. (II^{a} II^{ae}, q. c. CLXXI, art. 4, ad. 2; *Qd. de Verit.* XII, 1, ad 3; *l. cit.*) *b*) Aliquando sacer scriptor, habet supernaturalem acceptionem de ignotis, aliquando judicium supernaturale de naturaliter notis. « Prophetia est quaedam supernaturalis cognitio. Ad cognitionem autem duo requiruntur; scilicet acceptio cognitorum et judicium de acceptis. Quandoque igitur cognitio est supernaturalis secundum acceptionem tantum, quandoque secundum judicium tantum..... Quandoque igitur in prophetia non est aliqua supernaturalis acceptio, sed judicium tantum supernaturale... ; et talis forte fuit inspiratio Salomonis in quantum de moribus hominum et naturis rerum, quae naturaliter accipimus, divino instinctu ceteris certius judicavit. Quandoque vero est etiam acceptio supernaturalis... Agyographae autem dicuntur qui supernaturaliter

solum visiones intellectuales habuerunt sive quantum ad judicium tantum, sive quantum ad judicium et acceptionem simul. » (*Qd. de Verit.*, XII, a. 7 et 12 et ad 10) *c*) Auxilium divini luminis in scriptore sacro scribente, ea quae naturaliter cognoscit, semper interveniat. « Prophetae, prophetico officio fungebantur. Unde ex persona Domini loquebantur dicentes ad populum : Haec dicit Dominus, quod non faciebant illi qui hagiographa conscripserunt : quorum plures loquebantur frequentius de his quae humana ratione cognosci possunt non quasi ex persona Dei, sed ex persona propria, cum adiutorio tamen divini luminis. » (II^{a} II^{ae}, CLXXIV, art. 2. ad 3.)

d) Motio voluntatis in inspiratione, est tactus quidam, vel melius voluntatis scriptoris sacri impulsus ad ea scribenda, de quibus vel habuit supernaturalem acceptionem, vel supernaturale judicium, vel quae naturaliter cognovit ; et eo modo scribenda quo Deus vult, quin tamen libertas scriptoris inspirati offendatur. Uti ex testimoniis allatis, apparet, inspiratio est « tactus quidam, quo Spiritus sanctus dicitur tangere cor » ; est « impressio *a* Deo tangens corda ; pertinet ad affectum eo quod importat motionem quamdam. » Rurcus « Cum aliqua causa efficax fuerit ad agendum effectus consequitur causam non tantum secundum id, quod fit, sed etiam secundum modum fiendi vel essendi. Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quae Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. » « Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest ; sed propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas ; sicut etiam in omnibus providentia divina

infallibiliter operatur : et tamen a causis contingentibus proveniunt effectus contingenter, inquantum Deus omnia movet proportionaliter, unumquodque secundumsuum modum. » Iª xv, 8. *Qd. de Malo*, vi, a. unic. ad 15.)

e) Deus est auctor libri inspirati, simul cum ipso scriptore inspirato quamvis diversimode ; idest Deus principalis, scriptor inspiratus secundarius. « Operatio instrumenti attribuitur principali agenti, in cuius virtute instrumentum agit. » « Lingua mea calamus scribae. Hic ponitur auctor psalmi qui est lingua : quasi dicat : Non intelligatur quod ex proprio hunc fecerim, sed auxilio Spiritus Sancti, qui utitur lingua mea, sicut scriptor utitur calamo. Et ideo principalis auctor huius Psalmi est Spiritus Sanctus. II, Reg. xxiii : Spiritus Domini locutus est per me, quasi per instrumentum : II Pet. 1 : Non voluntate humana allata est sapientia, sed Spiritu sancto. » (2-2ae. 172. 2 ad 3. ; Expos. in psal. 44. 1.)

f) Inspiratio denique supernaturalis est et nonnisi per modum cuiusdam passionis transeuntis datur scriptori inspirato. Supernaturalis est quia « Prophetia est quaedam supernaturalis cognitio. Ad cognitionem autem duo requiruntur ; scilicet acceptio cognitorum, et judicium de acceptis... Quandoque igitur cognitio est supernaturalis secundum acceptionem tantum, quandoque secundum judicium tantum ; quandoque secundum utrumque. » (*Qd. de Verit.* xii. 7.) Datur per modum cuiusdam passionis transeuntis quia « Lumen propheticum non inest intellectui prophetae per modum formae permanentis ; alias oporteret quod semper prophetae adesset facultas prophetandi : quod patet esse falsum... Relinquitur ergo quod lumen propheticum

insit animae prophetae per modum cuiusdam passionis vel impressionis transeuntis. » (II[a] II[ae]. CLXXI, art. 2.)

In sententia igitur S. Thomae, actio inspirativa movet intellectum et voluntatem scriptoris sacri. Movet intellectum illustrando ipsum vel quoad ignota, vel quoad cognita naturaliter. Movet voluntatem determinando scriptorem sacrum ad scribendum cognita naturaliter vel supernaturaliter, et eo modo scribendum, qui est a Deo volitus. Intellectus tamen illustratus et voluntas determinata dum sub actione inspirativa tanquam causae secundae liberae se habent, non offenduntur in propria naturali activitate sed ita cum actione divina uniuntur, ut liber conscriptus sit simul Dei inspirantis et scriptoris inspirati, contineat ea quae sunt Dei et ea quae sunt hominis, ac per hoc possit altitudo et humilitas, quae in Scriptura sacra aliquando inveniuntur explicari, quin ad aliquorum recentiorum explicationes saepe gratis assertas et inintelligibiles recurramus.

Non aliter, videtur interpretare mentem S. Doctoris Cl. P. de Groot (1), dum ait *a*) « Inspiratio est motio Dei in scriptorem sacrum, qua Deus est proprie auctor libri sacri. *b*) Deus ita in scriptorem sacrum influit, ut libri sacri conscriptio sit proprie operatio Dei tanquam auctoris principalis, scriptoris autem inspirati tanquam auctoris instrumentalis. *c*) Est influxus divinus in mentem et in voluntatem hagiographi. *d*) Influxus in mentem efficit, ut auctor inspiratus res omnes litteris consignandas cognoscat per novam aliquam illuminationem et per illustrationem divini luminis : in qua quidem illustratione quantum ad ea, quae auctori sacro erant incognita, est supernaturalis acceptio, quantum

(1) *Summa apologetica*, q. XVI, De S. Scriptura, art. 2, 1.

ad ea quae jam naturaliter nota erant, judicium saltem supernaturale ; quantum ad utraque scriptor inspiratus cognoscit cum adiutorio divini huminis. *e*) Influxus in voluntatem efficit, ut auctoris sacri voluntas impellatur efficaciter, ut ille tanquam instrumentum Dei scribat quae Spiritus sanctus menti eius suggerit : cuiusmodi impulsus movet immediate voluntatem et mediate saltem, hoc est, per voluntatem, facultates executivas. »

7. Hackspill verba et conclusio. — Haec omnia scripta erant, quando scriptum quoddam L. Hackspill (1) apparuit in quo mentio effecta est de scriptoribus eorumque scriptis, quae ultimis temporibus circa rem exegeticam lucem adspexerunt. Quamvis scriptor iste, de multis qui de inspiratione scripserunt loquatur, uti in Germania P. H. Hœpfi O. S. B. et M. Holghey (2) ; in Italia, Granelli, Scotti et Bonaccorsi (3) et in regionibus idiomate anglo utentibus, Grannau et Vaughan (4) tamen specialem mentionem facit, de P. Hummelauer, Pesch et Zanecchia. In opusculo primi cui titulus est « Exegetisches zur Inspirationsfrage » tria asserta a P. Hummelauer reprehendit, 1° « Inspiratio conciliari potest cum narratione historica, in qua res certe fictitia continetur, uti ex. g. parabolae vel fabulae. » 2° « Si pro quibusdam libris, uti sunt liber Tobiae et Iudith, admitatur historicitas quaedam sensu largo et relativo accepta, prouti a P. Brucker et Prat admittitur, concludendum est, strictam historicitatem, ac modernae scientiae criticae conformem, non esse conditionem

(1) Chroniqne exégétique, *Univers*, 23 janvier 1905.

(2) Schöpung, *Bibel und Inspiration*, Die hohere Bibelkritik.

(3) Divus Thomas de effectibus inspirationis 1903. *Lezioni di propedeutica biblica*. Questioni bibliche.

(4) *Questions d'Ecriture sainte :* Autour de la Bible.

sine qua non, pro canonicitate alicuius libri Scripturae. » 3° « Scriptores inspirati, loquuti sunt de rebus astronomicis et historicis, sed absque instrumentis scientiae astronomicae necessariis, necnon absque scientiae historicae critica (1). »

Ex opusculo P. Pesch cui titulus est « Zur neuesten Geschichte der Kath. Inspirationslehre » Hackspill affert, duas propositiones valde notandas idest *a*) « Omnis propositio in Scriptura sacra contenta, non est vera nisi in sensu ab auctore intento. » *b*) « Auctor inspiratus potest narrationes anteriores afferre, quin exactitudinem absolutam de illis det ; imo quin declaret, se citationem fecisse. »

In opusculo P. Zanecchia cui titulus est « Scriptor sacer sub divina inspiratione » propositiones huiusmodi notandae sunt. *a*) Deus docet in sacro libro id quod hagiographus intendit ac vult docere. *b*) Non sufficit simplex praesentia alicuius assertionis in sacra Scriptura ut assertio illa, prout in littera jacet, divinitus inspirata ac vera retineatur, sed investigare oportet an assertione illa utatur ad docendam veritatem quam divinitus concepit et scribere intendit ac vult. *c*) In sacris libris qui historici appellantur, sub forma historica qua conscripti fuerunt, non semper vera historia factorum eorumque chronologicus ordo reperitur, quia scopus hagiographorum non erat ubique veram historiam humanarum rerum tradere, sed communiter utebantur historicis notionibus, et prout in vulgo erant, ad religiosas vel morales veritates docendas. *d*) Si male ac iniuste rationalistae agunt despiciendo Scrip-

(1) De opusculo P. Hummelauer Hackspill scribit : « On a répandu le bruit qu'il aurait été l'objet d'une censure ou que son auteur aurait dû le retirer de la circulation : ce bruit, nous le savons de source certaine, est absolument controuvé. »

turam propter praesumptos errores contra scientiarum naturalium pronunciata et contra accuratam historiam, quasi Scriptura inspirata ac ordinata esset ad historicas et naturales illas veritates docendas, non laudabiliter se gerunt exegetae ac apologistae catholici dum Scripturarum textus violenter contorquent, ut illos cum vera historia et scientiis naturalibus concilient, volentes scriptores sacros docuisse id quod docere minime intendebant.

Istae sunt recentiorum conceptiones circa divinae inspirationis naturam, quarum multae, obscurae, indeterminatae, superficiales, nullimode intimam essentiam illius divinae actionis, tangere inveniuntur. Absit a nobis, ut malevolo animo erga recentiores moveamur! Sed quia non placet, omni doctrinae vento circumferri, ideo, conceptionibus Angelici, eiusque theoriis circa inspirationem adhaeremus. Hisce bene intellectis, et amplitudine quadam adhibitis, contradictiones apparentes quae prima fronte in Evangeliis inveniuntur satis solvi possunt. Non indigemus, solo novitatis amore moti, ad incertas ac mutabiles theorias recursum facere.

CAPUT II.

EVANGELIA DIVINITUS INSPIRATA SUNT.

8. In hoc capite allatis argumentis pro Evangeliorum inspiratione militantibus, dubium quoddam solvemus, nonnullaque corollaria statuemus.

9. Ex Ecclesiae auctoritate et Traditione, necnon ex rationis momento, probatur divina inspiratio Evangeliorum.

a) Ex auctoritate. Verissime Leo XIII (Provid. Deus) scripsit : « Hoc sane (idest libros sacros fuisse Spiritu S. conscriptos ac Deum habere auctorem) de utriusque Testamenti libris perpetuo tenuit palamque professa est Ecclesia. » Nam praeter auctoritatem symboli Nicaeni (381), Concilii Toletani (447) necnon Innocentii III a. 1210 ad Valdenses scribentis, est auctoritas Concil. Florentini, Tridentini et Vaticani. Concil. Florentinum ait (Denz. 600) : « Unum atque eumdem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est, legis et prophetarum atque evangelii profitetur auctorem : quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante, utriusque Testamenti Sancti locuti sunt. » Concil. Tridentinum (Sess. IV can. de Scripturis, Denz. 666) statuit « S. q. autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et veteri Vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... a. s. » Denique Concil. Vaticanum (Sess. III. c. II De revel.) scribit de Evangeliis : « Eos Ecclesia pro sacris

et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant ; sed propterea quod, Spiritu Sancto inspirante, conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt. »

Non est mirandum, si, uti P. Pesch (1) fatetur « Nihil invenitur in libris novi Testamenti, unde probari possit totam sacram scripturam novi Testamenti, prout in nostro canone habetur, esse inspiratam » ; criterium siquidem ad inspirationem biblicam Evangeliorum stabiliendam nonnisi Ecclesiae auctoritas et traditio esse possunt.

b) Ex Traditione. Adest primo consensus populi fidelis. Penes siquidem primorum saeculorum christianos, haec facta invenimus. *a*) Eos timorem et amorem pariter quam maximum habuisse erga libros Evangeliorum. *d*) Firmissime credidisse eorum auctores in scribendo nunquam errasse. *c*) Distinctionem fecisse inter Evangelia ac caeteros libros ad religionem spectantes. *d*) Nonnisi cum magna reverentia, atque cum omnibus devotionis signis, Evangelia legisse. Haec autem omnia ostendunt aperte primitivos christianos retinuisse Evangelia esse inspirata, ac Deum auctorem habere . Deinde sunt P. P. testimonia.

S. Ignatius (*Epist. ad Smyrn.*, 5 et 7) comparat Evangelium Legi, et Prophetis, tribuit utrisque eamdem auctoritatem. Sicut igitur Lex et Prophetae inspirata, ita et ipsa Evangelia. En eius verba : « Quibus (docetis) nec prophetiae persuasere, nec Moïsys lex, sed nec Evangelium in hunc usque diem... Decet itaque abstinere a talibus... attendere autem prophetis, praeci-

(1) *Propaed* n. 609. Cf. Zanecchia, *Divina inspiratio S. Scrip.*, n. 45.

pue autem Evangelio, in quo passio nobis ostensa, et resurrectio, perfecte demonstrata est.»

S. Justinus (*Apol.*. 1, n. 67; *Dial. cum Triph.*, 103) refert nobis, quod in conventibus christianorum eadem reverentia legebantur « commentaria Apostolorum » idest Evangelia, ac Veteris Testamenti scripta. Rursus, ipsemet S. Justinus argumenta ex Evangeliis adducit, sicut ex Veteri Testamento. Signum est, quod utraque tanquam inspirata retinebantur. « Ac solis, ut dicitur, scribit ille, die omnium sive urbes sive agros incolentium in eumdem locum fit conventus, et commentaria apostolorum, aut scripta prophetarum leguntur... Deinde, ubi lector desiit, is qui praeest admonitionem verbis et adhortationem ad res tam praeclaras imitandas suscipit. Postea omnes simul consurgimus, et preces emittimus... Qui a Moyse serpens, apud Job et Zachariam diabolus, a Iesu Satanas appellatus est, compositum nomen illi ab actione quam perpetrarit, indictum declarante..... Statim enim atque Jesus ascendit e fluvio Iordane, ubi vox in eum edita est : « Filius meus es tu ; ego hodie genui te ; » scriptum est in commentariis apostolorum diabolum illum ad eum accessisse, et tentasse, usque adeo ut ei diceret : « Adora me, » eique respondisse Christum : « Vade retro a me Satana : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. »

S. Irenaeus (*c. Haeres.*, v, 118) : « Neque autem plura numero quam haec sunt, neque rursus pauciora capit esse Evangelia... Manifestum est, quoniam qui est omnium artifex Verbum, qui sedet super cherubim et continet omnia declaratus hominibus, dedit nobis quadriforme Evangelium, quod uno spiritu continetur. »

Tertullianus (*De praescript.*; 36, *Adv. Hermog.*, 19; *Adv. Marc.* IV, IV, 22) refert nobis quod Ecclesia romana tribuit

eamdem auctoritatem libris Novi et Veteris Testamenti : « Ista quam felix Ecclesia !... Legem et prophetas cum evangelicis et apostolicis Litteris miscet. »

Vocat rursus Evangelium « supplementum instrumenti veteris » ; et cum Marcion conatus fuerit veteris et Novi Testamenti diversitatem constituere, probat utrumque Testamentum eumdem habere auctorem et ait : « Oportebat in eo suggestu consignari Novum Testamentum, in quo conscriptum Vetus fuerat. »

S. Ambrosius (*Expos. in Luc.*, l. I, c. I, 3 ; *Epist. class.* 1, epist. VIII). « Non conatus est Matthaeus, non conatus est Marcus, non conatus est Joannes, non conatus est Lucas, sed divino Spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine cœpta compleverunt.... Non enim secundum artem scripserunt, sed secundum gratiam, quae super omnem artem est ; scripserunt enim quae Spiritus iis loqui dabat. »

S. Hieron. (*In Is.*, IX, 29 ; *Epist.* XXVII *ad Marcel.*) « Christus est, qui solvit signacula libri, non proprie unius, ut multi putant, psalmorum David, sed omnium Scripturarum, quae uno scriptae sunt Spiritu sancto : et propterea unus liber appellantur... Non adeo hebetis fuisse cordis, et tam crassae rusticitatis... ut aliquid de Dominicis verbis, aut corrigendum putaverim, aut non divinitus inspiratum (1). »

Clar. P. Zanecchia ita SS. Patrum sententias de existentia divinae revelationis in Veteri et Novo Testamento compendiat, et ad quinque reducit (2). »

1ª, Sacri Libri sunt dati, conditi a Deo, compositi ex litteris et syllabis Spiritus Sancti. Ita Clemens Alex.

(1) Cf. VIGOUROUX, *Dict.* : Inspiration.

(2) *L. c.*, n. 49.

Strom. II. Cohort. ad gent., c. IX) Augustinus (*Civ. Dei.* XI, 3 et *Serm.* II *in psal.* XC, 2). Chrysostomus (Hom. III in Genesim), etc.

2ª Sunt scripti a Deo, conscripti a Spiritu Sancto, per Spiritum Sanctum, cooperante Spiritu Sancto. Ita Origines (*Cont. Cels.*, V. 60), Chrysostomus (loc. cit.), Gregorius M. (Praef. *in Moral.*, c. I), Augustinus (lib. I, *De Consens. Evang.*, c. XXXV) etc.

3ª Sunt dictiones, dictationes, locutiones, effata, oracula spiritus Sancti. Ita Clemens Romanus (I. ad Cor., n. 45), Clemens Alex. (MIGNE, *P. G.*, t. IX, col. 833), Irenaeus (*Cont. Haeres.* I, 28), Cyrillus Ieros. *Catech.*, l. VI et IV, 34), Gregorius Nyss. (lib. VI, *Contr. Eunom.*) etc.

4ª Sunt scripti ab agiographis non ex humana cogitatione et secundum artem, sed ex dono Dei, coelesti gratia, Spiritus Sancti afflatu. Ita Iustinus (*Cohort. ad Graecos*, VIII, 10), Origenes (*De Princ.*, l. IV, n. 6), Ambrosius (*Ep.* VIII ad Iust. n. 1), Chrysostomus (*Hom.* XXI *in Gen.*), Athanasius (*De decret. Nic.* Ep. fest. XXXIX), etc.

5ª In illis conscribendis hagiographi fuerunt instrumenta Dei. Ita Iustinus (loc. cit). Athenagoras (*Legat. pro Christian.*, 9), Hippolytus (*Contr. Noetum*, 11), Ambrosius (*Proem. in Lucam*), etc.

c) Ex rationis momentis. Certe inspiratio cum sit actio supernaturalis, nequit existentia eius, per rationis humanae argumenta ostendi; sunt tamen signa quaedam, quae a nonnullis, tanquam criteria demonstrativa existentiae inspirationis in libris Evangeliorum, assumuntur. Penes protestantes, assumuntur tanquam criteria demonstrationis existentiae inspirationis divinae, vel « prophetiae et miracula in sacris libris contenta » vel vis quaedam, excitandi animum, quae in

Evangeliis invenitur; vel profunditas et altitudo doctrinae eorumdem, vel « munus apostolicum » ita ut liber quilibet ab apostolis conscriptus, tanquam inspiratus habeatur (1). Catholici vero, supposita existentia divinae revelationis per auctoritatem Ecclesiae et traditionis, assumunt tanquam rationis momenta ad probandam convenientiam existentiae inspirationis vel certitudinem, qua auctores Evangeliorum de rebus altissimis loquuntur, vel eorum simplicitatem in scribendo, vel fructus, morales vel intellectuales, quos Evangeliorum lectio in lectoribus et audientibus producit. Uti quisque videt praeter Ecclesiae et traditionis auctoritatem, nihil valet ad divinae inspirationis existentiae demonstrationem, ideoque Ecclesiae, traditionisque auctoritate contenti simus.

10. **Dubium solvitur.** — In hypothesi de mutua dependentia litterali circa Evangeliorum formationem, in qua unus Evangelista accepit scripta alterius vel fuit « pedissequus et breviator » quomodo salvatur inspiratio divina ? Resp. De elementis Evangeliorum synopticorum, quae jam praeexistebant, quaeque ab Evangelistis collecta fuere, loquendum est sicut de aliquibus partibus S. Scripturae jam praeexistentibus, uti est liber secundus Machabaeorum, de quo sacer scriptor ait (II, 24) : « Itemque ab Iasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare. » Videlicet scripta haec a scriptore sacro perlecta fuere, et ipse supernaturali lumine illustratus, judicavit de veritate in illis contenta, de opportunitate ea transcribendi, necnon de sufficientia terminorum quibus veri-

(1) Cf. Zannecchia, l. c. n. 19. — *Revue biblique*, 1896, p. 486; « Les esprits distingués comprennent enfin que la Bible n'est inspirée que parce qu'elle nous inspire. »

tas exprimebatur. Deus dum lumen illud scriptori sacro concessit, contulit quoque motionem voluntati eius, proportionatam judicio ab ipso prolato, circa scripti acceptationem, vel rejectionem. Per electionem autem scripti a scriptore sacro tali modo factam, scripta, opus scriptoris sacri, et Dei simul fiunt, sunt divina atque in libro sacro inseruntur ex voluntate ipsius Dei ideoque divina inspiratio habetur (1). Non aliter respondet Card. Zigliara eidem difficultati contra Pentateuchi authentiam et integritatem propositae. « In hypothesi ergo, scribit ille (2), praefata documentorum, dicendum est quod :

« 1° Acceptio eorum quae in illis documentis continebantur, quia erant, seu quantum ad existentiam, fuit in Moyse per viam naturalem (non exclusa tamen peculiari Dei positiva assistentia)... Consequenter ex parte acceptorum, non fuit revelatio, pressiori vocabulo accepta, prout nempe est manifestatio ignoti.

« 2° Ea autem quae in ipsis documentis continebantur, quantum ad quia vera erant, seu, quoad judicium de acceptis, non est dicendum humano more judicium, cui falsum subesse potest ; sed Moyses fuit in judicando infallibilis infallibilitate divina, et ideo divinitus inspiratus, inspiratione quae est revelatio ex parte judicii.

« 3° Ea quae in ipsis documentis continebantur non humano more, quo videlicet homo falli et fallere potest, Moyses inseruit sed lumine supernaturali donatus, divinaque inspiratione ductus. Consequenter omnium et singulorum, quae in sacris scripturis continentur, sunt formaliter sacra, ita nempe, ut pro omnibus haec S. Thomae sit formula retinenda : Spiritus Sanctus est

(1) Cf. Lagrange, *Revue biblique*, 1896, p. 215-16.
(2) *Propaed.* 1, 3, c. ix, n. iv.

auctor, homo vero instrumentum. » Theoria haec bene intellecta, potest aliis locis s. Scripturae applicari, aliasque difficultates solvere.

11. Corollaria. — 1. Longe a veritate sunt igitur scriptores, qui existimant inspirationem divinam consistere in sola divina assistentia, qua scriptor sacer ab errore praeservatur. a) Inspiratio enim, illuminationem intellectus, ac voluntatis motionem in suo conceptu importat, quae quidem duo, in assistentia illa non includuntur et dum prima aliquid positivum est, alia nonnisi aliquid negativum esse videtur. b) Summorum Pontificum definitiones vindicant sibi divinam assistentiam, quin tamen ibi divina inspiratio interveniat. c) Nequeunt cum hac assistentia explicari verba Concilii Vaticani, a Leone XIII in sua Epistola « Providentissimus » iterum allata, nempe libros veteris et novi testamenti Ecclesia pro sacris et canonicis habet non ideo dumtaxat « quod revelationem sine errore contineant : sed propterea quod Spiritu Sancto conscripti, Deum habent auctorem. »

2. Errant quoque scriptores, qui putaverunt solam approbationem Ecclesiae sufficere, ut liber aliquis tanquam inspiratus habeatur. *a*) Deus enim, non posset amplius dici, auctor libri sacri, neque libri sacri Deum haberent auctorem. *c*) Actio divina inspirans, nulla esset in sacro scriptore.d) Non cohaeret opinio haec cum verbis Concil. Vaticani a Leone XIII allatis (l. c.) Ecclesiam nempe tenere libros V. et N. Testamenti inspiratos, « non ideo quod sola humana industria concinnati sua deinde auctoritate sint approbati. »

CAPUT III

DE INSPIRATIONIS EXTENSIONE

12. Magna, uti vidimus, fuit sententiarum varietas, circa naturam intimam divinae inspirationis, major est haec varietas circa inspirationis extensionem. Inspiratio divina, est ne ad omnia et singula verba, ad omnes et singulas res, ad omnes et singulas sententias, extendenda, vel solummodo ad verba quaedam, ad res aliquas, ad sententias quasdam majoris momenti ? Aliis verbis, quanta est extensio actionis divinae inspirantis scriptorem sacrum ? A diversarum sententiarum recitatione incipiendum est, statuto prius et clare puncto quaestionis. Sciendum est igitur quod in Evangeliis duo considerari possunt. 1° Omnes res, omnesque sententiae in illis contentae. 2° Structura, verba, stylus, quibus res et sententiae omnes exprimuntur. Si Evangelia dicantur inspirata relate ad res et sententias, inspiratio est realis ; si relate ad structuram, verba, necnon stylum, dicitur verbalis ; si quoad utrumque, realis-verbalis. Rursus, si omnes sententiae et res dicantur inspiratae inspiratio dicitur totalis, si vero aliquae solummodo, partialis.

13. **Sententiae limitantes inspirationem realem recitantur.** — Juxta Holden († 1665) auxilium speciale scriptori sacro a Deo concessum, se extendit tantum ad res doctrinales, necnon ad res relationem immediatam vel necessariam cum rebus doctrinalibus habentes. Sed in rebus a scopo

scriptoris alienis, vel relationem ad alia habentibus, Deus scriptori sacro dedit, quod caeteris auctoribus piis concedit : ita ut inspiratio ad sola doctrinalia vel ad res cum ipsis relationem habentes restringenda sit, quamvis scriptor sacer sit ab errore immunis (1).

Propter progressum scientiarum naturalium necnon scientiae historicae saeculi XIX ; ad omnem conflictum Scripturam inter ac scientiam evitandum, scriptores quidam distinxerunt duas partes S. Scripturae. Prima pars continens veritates dogmaticas et morales, divina est, inspirata est ; secunda vero continens veritates ad ordinem religiosum minime pertinentes, humana est, neque est inspirata, et in illa error inveniri potest. Ita Rohling sustinuit, inspirationem non esse extendendam ad quaestiones scientificas, de quibus sermo fit in s. Scriptura (2).

Juxta Lenormant († 1883), inspiratio est extendenda ad res fidei et morum idest ad doctrinas supernaturales in s. Scriptura contentas. Pro rebus vero ad scientias physicas pertinentibus, scriptor sacer nullum lumen speciale recepit, ac sui temporis opiniones necnon praejudicia secutus est. Spiritus S. neque ordinis scientifici

(1) Non aliter Salvatore di Bartolo (*Criteri teologici*, Torino 1888, crit. IX, prop. neg. II,III). « La divina ispira zione, o l'intervento soprannaturale, non si estende agli elementi accessori dei fatti narrati nei libri della santa Scrittura. Non vi ha ispirazione, od intervento soprannaturale nelle materie estranee, all'ordine religioso. » In nova Editione sui operis, sententiam suam retractavit.

(2) Non aliter videtur sentire, d' Hulst (*La question biblique*) : « L'inspiration garantirait l'écrit de toute erreur dans les matières de foi et de morale ; mais on admettrait que la préservation ne va pas au delà, elle aurait les mêmes limites que l'infaillibilité de l'Eglise. » Verum scriptor iste sententiam suam retractavit per haec verba « Je considérais comme une opinion libre, qui limite aux matières de foi et de morale la garantie d'inénarrance absolue résultant du fait de l'inspiration. Je reconnais volontiers que la dernière partie de l'Encyclique ne permet plus de penser ainsi. »

veritates, neque historiam universalem revelare voluit.

Alii cum P. Semeria duo distinguunt in S. Scriptura, videlicet, elementum divinum et humanum, aliis verbis, finem quem Deus sibi proposuit, et huic fini accessoria. Inspiratio divina, affimanda est quantum ad ea, quae ad finis consequutionem necessaria sunt, non vero quantum ad accessoria (1).

Juxta card. Newman († 1870), universa Scriptura inspirata est, in his quae ad fidem et mores pertinent, et haec fidei veritas est. Pariter certum est inspirationem se extendere ad facta historica, quia historia universa biblica, cum revelatione intime conjuncta est. Impossibile tamen est, libros canonicos sub omni respectu esse inspiratos. Non videtur majestati divinae convenire, Deum esse simul narratorem historicum, ac geographum in rebus historicis ac geographicis, quae nullam directam relationem cum veritatibus revelatis habent. In recitatione factorum igitur possunt quaedam inveniri obiter dicta (dites en passant) uti ex. g. verba Apostoli II. Tim. IV , 13 : « Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membrana; » quae neque inspirata neque infallibilia sunt. Per obiter dicta autem Newman intelligebat, assertiones nonnullas parvi momenti materiae de qua erat sermo extraneas, et veluti transeundo a scriptore sacro prolatas. In rebus doctrinalibus, ad quas juxta illum miracula pertinent, « obiter dicta » non dantur (2).

(1) Cf. VIGOUROUX, *Dict.*, p. 906; PRAT, *La Bible et l'Histoire*, p. 13.

(2) *Revue bibl.*, 1893, p. 434. En eius verba : « Fixer avant tout le but de chaque livre... discerner les éléments divins et humains : tout ce qui était nécessaire pour que le livre obtînt son but : c'est-à-dire pour qu'il fût tel que Dieu le voulait, Dieu l'a fait faire tout ce qui était indifférent à ce but, Dieu l'a laissé faire. »

P. Pesch tenet, inspirationem esse extendendam utique ad omnes omnino res et sententias, quae ab auctore sacro scriptae sunt ; addit tamen, quod vi inspirationis non omnia eodem modo vera sunt, et quibusdam sententiis inspiratis non absolutam sed relativam veritatem convenire. Et hoc propter multa. *a*) Spiritus Sanctus loquebatur et scribebat pro hominibus ideoque eo modo, ut ab iis intelligi posset. Quare hominum usui se accomodavit et in rebus, de quibus secundum sensuum apparentiam loqui solent, eodem quo homines loquendi modo, usus est. *b*) Ex hoc quod Spiritus Sanctus testatur certa verba dicta esse ab hoc vel illo homine, non testatur pariter haec verba vera esse, ut enim Augustinus ait (*Ad Oros. Priscill. et Orig.*, c. IX, n. 12) : « In Evangelio, quamvis verum sit, quod dicta sint, non tamen omnia, quae dicta sunt, vera esse creduntur, quoniam multa a Iudaeis falsa et impia dicta esse, verax evangelii scriptura testatur. » *c*) Ipsi quoque scriptores sacri interdum sua sensa manifestant, orando ad Deum, dubia proferendo, salutationes ad amicos mittendo. Quia nihilominus Deus haec scribendo inspiravit talia dicta vere sunt verbum Dei, sed diversimode. *d*) In sacra scriptura occurrunt assertiones indeterminatae vel dubitativae, et saepe scriptor sacer, gaudium, tristitiam vel alios animi sui affectus manifestat (1).

(1) *L. c.* propos. LX.

Ephemerides cui titulus est *Civiltà cattolica* (17 genn., 1903) circa extensionem inspirationis haec habet « Non hanno attinenza con l'ispirazione quelle cose che la sana critica determina dei sacri libri ; perche se l'ispirazione ci dà sempre la certezza della verità del testo non sempre ci assicura dell' autore secondario o scrittore di esso, né del tempo in cui fu composto, né delle fonti e dell'indole sua letteraria » (p. 218). — La infallibilità degli scrittori « é intimamente legata col genere letterario a cui appartiene uno scritto. Poiché secondo la diversità del genere letterario, diversa pure é la verità che compete a documenti diversi » (p. 219). — Tra i generi letterari in uso presso i Giudei, vi è il mi-

14. Praedictarum sententiarum critica.

Sententia Holden et di Bartolo rejicienda est, quia *a*) non concordat cum Ecclesiae definitionibus. Nam prouti n. 9 visum est, Ecclesia variis vicibus definivit libros sacrae Scripturae « integros cum omnibus suis partibus » esse divinitus inspiratos. Modo, si solummodo res doctrinales librorum sacrorum inspiratae sunt, uti scriptores praedicti affirmant, inspiratio divina neque ad libros integros, neque ad omnes eorum partes sese extendit, sed partes non doctrinales, et ad ordinem religiosum non pertinentes, excludendae forent.

b) Non salvatur veritas « Deus est auctor sacrorum librorum ». Ex eodem n. 9 scimus libros S. Scripturae, esse sacros et inspiratos, quia « Deum habent auctorem » et quidem non respectu alicuius vel alterius partis, sed omnium, nulla excepta. Admissa autem praefata sententia, Deus esset auctor sacrorum librorum, solummodo relate ad partes doctrinales, non vero respectu partium quae ad ordinem religiosum non pertinent, consequenter Deus, esset simul et non esset, sacrorum librorum auctor.

Secunda vero sententia, quae sustinet posse inveniri error in s. Scriptura quoad veritates non pertinentes

drash haggadico « specie di commentario storico, un genere di narrazione didattica condotta liberamente, che ha per scopo principale non di raccontare dei fatti, ma d'inculcare qualche verità morale mediante una certa libera narrazione dei fatti... Orbene si domanda : in siffatto midrash si contiene una verità strettamente storica ? rispondo : no certo. Ma ivi é per l'appunto la verità propria del genere midrash, quando propone nella sua narrazione più libera una vera dottrina morale. Sicché il midrash potrebbe definirsi un genere letterario di forma storica, anzi con fondamento storico, ma composto coll'intento principale d'insegnare. » (p. 221).— « Chi poi vuol formarsi un sicuro giudizio intorno al genere di verità dei singoli documenti del Vecchio Testamento, tenga anzitutto bene a mente, che egli dovrà pensare, parlare, giudicare, come pensava, parlava, giudicava un antico Ebreo. »

ad ordinem religiosum est rejicienda, nedum propter rationes contra primam allatas, sed quia rursus, facit Deum erroris auctorem, erroremque ponit in libris sacris. Audiatur Leo XIII (*l. c.*) : « Tantum abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae... Ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment... ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem... Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit divinas litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes. »

Ex sententia vero excludente inspirationem a rebus ad scientias physicas vel historicas pertinentibus, duo inconvenientia sequuntur : *a*) inspiratio coangustanda est ad aliquas tantum partes ; *b*) concedendum est, scriptorem sacrum in quibusdam errasse. Modo, juxta Leonem XIII (*l. c.*) nefas est « aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem ». Neque valet argumentum ab ipsis allatum, idest, ea quae scriptor sacer de rebus physicis vel historicis affirmat, non esse consona, cum datis scientiae hodiernae tum historiae tum physicae. Nam ut verbis d. Tanquery (1) utamur.

« In rebus scientificis, et juxta quosdam, etiam in rebus historicis, Scriptura saepe adhibet modum loquendi vel narrandi tunc temporis usurpatum, nec tam sollicite curat de chronologia et geographia quam

(1) *Synopsis Thel. Dog. de vera Relig.*, etc. : De fontibus theol., n. 57.

moderni scriptores, quum eius scopus non sit scientias humanas tradere, sed viam salutis docere, ita ut facta ibi relata sint potius occasio veritates quasdam morales exponendi. Hinc in huiusmodi materiis, non est quaerenda veritas completa et absoluta, sed tantum relativa, qualis, videlicet cum scopo auctoris consonat. Audiatur Leo XIII (*l. c.*) a quo huiusmodi criterium desumptum fuit. « In consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura » ; quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer « ea secutus est, quae sensibiliter apparent », seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more... Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, juvabit transferri. » Criterium a Leone XIII, verbis Augustini (*De. Gen.* ad litt. 2, 9, 20) enuntiatum, invenitur etiam apud S. Hieronimum et Angelicum. Primus (*In Ierem.*, c. XXVIII, 5, 10-11) ait « Quasi non multa in Scripturis Sanctis dicantur, juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non juxta quod rei veritas continebat. » Secundus (1. p. 70, 1 ad 3) scribit « Moyses autem rudi populo condescendens secutus est quae sensibiliter apparent... Moyses loquebatur rudi populo, qui nihil nisi corporalia poterat capere (Ib. LXVII, 4)... Moyses ea tantum proposuit quae in manifesto apparent (Ib. LXIX, 2

ad 3) ». Criterium hoc sequitur etiam a modernis et P. Brucker scribit (1): « Sacra scriptura dum refert nobis ex. g. formationem firmamenti, vel solem stetisse etc., loquitur secundum apparentias, ideoque verax est, quamvis sermo eius non sit vere et proprie scientificus. » Et P. Lagrange (2) concludit : « Haec est theoria in traditione adinventa, quaeque casibus particularibus, iuxta scientiae criticae exigentias applicanda est, distinctionem faciendo scientias naturales inter ac ipsam historiam ; scriptores siquidem sacri, secundum apparentias loquuti sunt. » Hinc P. Pesch (3) scribit : « Si quis ex hoc accomodato loquendi modo sibi licere putaret judicare de interna rerum natura, sibi ipsi adscribere deberet, si in errorem inducitur non minus quam si homines, etiam doctos, ita loquentes male intelligeret, vel si opticam apparentiam magnitudinis, motus etc. cum reali magnitudine et motu confunderet. »

In sententia vero quae finem et accessoria fini in s. Scriptura distinguit, *a*) non sunt amplius vera, verba Conc. Vaticani : « Veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in Concilii Tridentini decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. » *b*) Nequit conciliari cum verbis Leonis XIII (l. c.) quod nefas est « inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare. » *c*) Nescimus determinare, quaenam sint, quae Deus voluit facere, et quaenam Deus scriptori sacro facere reliquit ; quaenam inspirata, quaenam non ; quaenam scriptor sacer spiritu proprio scripsit, quaenam spiritu Dei. Propter hanc

(1) *Études*, 1895, p. 502.
(2) *La Méthode historique*, etc. : Notion de l'inspiration, in fine.
(3) *L. c.*, n. 629.

causam, divinitas totius Scripturae non amplius firma consisteret.

Sententia Card. Newman, affirmans inspirationem relate ad ea quae fidei et morum sunt, negans vero inspirationem respectu eorum quae « obiter » dicta fuere, impugnatur directe in Epistola Leonis XIII hisce verbis « Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere... Etenim... professi unanimes (Patres et Doctores) Libros eos (s. Scripturae) et integros et per partes a divino aeque esse afflatu. » Deinde, sententia hac admissa, ut verbis M. Cani utamur, quam facile erit cuique res vel graves, vel leves pro suo arbitratu ingenioque aestimare? Jam hic dicet tibi, tres unius substantiae praedicari personas leviculum esse, nec ad salutem nostram pertinere. Jam contendet alius, duas in Christo et operationes et voluntates e rebus esse non gravioribus. Nam et spiritus a patre et filio procedentis unicum esse principium, tanquam rem levem quidam contemnendam arbitrabitur. Quin, quod tertia die an quarta Christus resurrexerit, cum non valde ad salutem attineat, pro nihilo quispiam habebit. In his itaque Evangelistas, Apostolos, Prophetas errare, labi hallucinari potuisse. Porro ut reliquas scripturae partes praetereamus, in sacris historiis distingui, discernique non posset, quid ex Deo, quid ex homine sit; quid author ex revelatione divina, quid contra ex spiritu humano et ingenio proferat. Quo circa fluctuaret passim et legentium et audientium fides, dum ignorarent, quonam spiritu, hominis an Dei, unaquaelibet chronicorum sanctorum particula fuisset scripta (1). De sen-

(1) De Loc. Theol. l. 2. c. 17.

tentia P. Pesch, quae communi theologorum sententiae modificationem aliquam addit, postea dum de inspiratione orali, quaedam dicemus.

15. Res et sententiae omnes Evangeliorum divinitus inspiratae sunt. — Uti quisque videt agitur *a*) de inspiratione reali. *b*) Non solum de principalioribus, sed etiam de secundariis, nedum de rebus pertinentibus ad fidem et mores, sed etiam de caeteris sive ad historiam, sive ad scientias naturales, sive ad ordinem religiosum vel non, pertineant. *c*) In iis, quae a scriptoribus sacris naturaliter cognita sunt, adiutorium divini luminis, non est excludendum, et prouti M. Canus (1) ait « Non singulas scripturae particulas, ut a sacris auctoribus scriberentur, propria et expressa revelatione indiguisse, sed singulas tamen scriptas ex peculiari Spiritu Sancti instinctu afflatuque... Sive ergo Matthaeus et Ioannes, sive Marcus et Lucas, quamvis illi visa, hi audita referrent non egebant quidem nova Spiritus sancti revelatione, egebant tamen peculiari Spiritus sancti directione. » Hisce notatis probatur veritas enuntiata :

a) Ex auct. Ecclesiae. Nam juxta Conc. Florentinum, Tridentinum, Vaticanum necnon Epistolam Leonis XIII « Prov. Deus » Libri « omnes atque integri, quos Ecclesia tanquam sacros et canonicos recipit cum omnibus suis partibus Spiritu sancto dictante, conscripti sunt » ita ut « Nefas omnino fuerit inspirationem ad aliquas tantum sacrae scripturae partes coangustare » et scriptores sacri « Ea omnia eaque sola quae ipse (Spiritus S.) juberet, et recte conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent; secus, non ipse esset auctor sacrae scripturae universae. » Quae omnia falsa sunt, si Evangeliorum res

(1) L. c.

et, sententiae omnes non sint divinitus inspiratae.

b) Ex traditione. S. Hieronimus (Epist. 27 ad Marc 1.) cum reprehensus fuisset a quibusdam « homunculis » quia « aliqua in Evangeliis emendare » tentaverat, haec scribit « Quos ego cum possem meo jure contemnere (Asino quippe lyra superflue canit) tamen ne nos superbiae, ut facere solent, arguant, ita responsum habeant: Non adeo me hebetis fuisse cordis, et tam crassae rusticitatis... ut aliquid de Dominicis verbis, aut corrigendum putaverim, aut non divinitus inspiratum... sintque in hac re tantum simplices, ut Christi verba existiment rusticana, in quibus per tanta jam saecula, tantorum ingenia sudaverunt. »

S. Augustinus (Epist. 28, c. 3) « Mihi videtur exitiosissime credi, aliquod in Libris sanctis haberi mendacium... Admisso enim semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis... Ad hanc autem considerationem coget te pietas, qua cognoscis fluctuare auctoritatem Scripturarum divinarum, ut in eis quod vult quisque credat, quod non vult non credat, si semel fuerit persuasum aliqua illos viros per quos nobis haec ministrata sunt, in scripturis suis officiose potuisse mentiri. » (1)

S. Gregorius Naz. (Orat. II Apol. CV) « Nos qui spiritus diligentiam vel usque ad levem apicem et lineam trahimus, nunquam, nec enim fas est, ne minimas quidem actiones ab iis a quibus memoriae proditae sunt, temere perscriptas et elaboratas, memoriaque ad haec usque tempora conservatas esse concedemus. »

(1) Cf. Confess. c. 21. 1. Ibi ait « Itaque avidissime arripui venerabilem stylum Spiritus tui... Et coepi, et inveni, quidquid illac verum legeram, hac cum commendatione gratiae tuae dici. »

S. Joa. Chrys. (Hom. 21 in c. 5 et 6 Gen.) « Ego vos omnes obsecro, ne simpliciter ea quae in scripturis sacris contenta sunt, transeatis... Quando quidem divino Spiritu afflati prophetae loquuti sunt, ideo utpote a Spiritu scriptae ingentem in se continent thesaurum... Neque enim vel syllaba, vel apiculus est in sacris Literis in cuius profundo non sit grandis quispiam thesaurus... Nam si in saecularibus negotiis, scripta quae ab hominibus conficiuntur, saepe tempore corrupta, a tempore initio instrumenti notato, et ab una syllaba, multum momenti habent : multo magis hoc in Scripturis divinis a Spiritu sancto compositis invenitur. »

c) Ex rationis momentis. *a*) Contraria sententia admissa, non parva difficultas habetur in determinando, quaenam S. Scripturae res et sententiae inspiratae sint, quaenam non. *b*) Non facile videtur, quomodo Scripturae divinitas firma consisteret, cum unusquisque posset, hanc vel illam Scripturae rem vel sententiam tamquam non inspiratam reiicere, cum ita esse sentiendum, ei ex rationabili motivo appareat. *c*) Inexplicabile foret factum, quo nempe Patres, fideles et Ecclesia universa continuo retinuerunt, in s. Scriptura « singula quaeque sive magna, seu parva a sacris auctoribus Spiritu sancto dictante esse edita. » Ius igitur habemus concludendi cum M. Cano (1) « Id (res nempe omnes et sententias S. Scripturae esse inspiratas) a patribus accepimus, id fidelium animis inditum et quasi insculptum est, id itaque et nos, ecclesia praesertim ipsa magistra et duce, retinere debemus. »

16. An inspiratio oralis, idest verborum, S. Scripturae, sit asserenda. — Card. Zigliara (2) proponit sibi quaestio-

(1) L. c. c. 17.
(2) Propaed. l. 3. c. 9. n. 4.

nem, quid de verbis S. Scripturae sentiendum sit, et respondet « Generatim est retinendum quod — 1° sicut quandoque relinquitur prophetae ut ex seipso imagi nes formet, ad exprimendas acceptiones intellectuales, ita quandoque et relinquitur ut ex seipso formet verba, ad exprimendas acceptiones intellectuales, imaginarias et corporales.

2° Cum « sacra Scriptura ad hoc divinitus sit ordinata, ut per eam nobis veritas manifestetur necessaria ad salutem » dicendum est talia adhiberi verba ab agiographis quae nedum non sint contraria acceptis, sed quae ad amussim et infallibiliter significent veritatem enunciatam. Quod quidem humanitus solummodo fieri nequit. Et ideo veritas est inspirata vel revelata, verba vero, quibus enunciatur, non sunt sine divino auxilio adhibita generatim. Et dico generatim, quia non est negandum verba ipsa quandoque esse revelata, puta nomen Iehovah, etc.

3° Consequenter, licet omnia S. Scripturae verba materialiter accepta non dicantur revelata, dicenda tamen sunt omnia inspirata aliquo modo. Et hinc est, quod sub diversitate materiali verborum in diversis Scriptoribus respectu eiusdem rei, est, uniformitas seu unitas formalis significationis. »

Clar. P. De Groot (1) proponit sibi quaesitum, utrum inspiratio etiam verbalis admittenda videatur, et respondet *c*) Deus ipsa verba determinasse dicendus est, 1° in quibusdam locis, ubi rerum adiuncta hanc determinationem divinitus factam ostendunt, v. g. ubi sacer auctor inter scribendum vocem Dei inspirantis audiit. 2° In nonnullis vocabulis, dogmatis vim continentibus, velut vox Verbi, quod Joannes usurpat, de Incarna-

(1) Sum. Apolog. q. XVI, a. 4. ob. III.

tione scribens : verbum (ὁ λόγος) factum est. Joa. 1, 14. 3° In iis locis, qui praeter sensum litteralem, habent sensum spiritualem seu mysticum nonnunquam vel in unico verbo latentem, puta in voce Jerusalem, quae simul et terrenam civitatem et ecclesiam et cœlum significat. *d*) Inspirationem ad omnia et singula etiam verba extendi, contra recentiores non paucos veteres multi docent. Veterum illa assertio ex eo certe impugnari nequit, 1° quod sit magna in variis Libris styli diversitas. 2° Neque illud tanti ponderis esse videtur, quod patres « non verba, aiunt, in Scripturis consideranda, sed sensum. » 3° Posita inspiratione verbali non sequitur, ut versiones jam S. Scriptura vocari nequeant.

Simar (1) affert diversas rationes negantium inspirationem verbalem sacrae Scripturae. Harum prima est, diversitas expositionis, in singulis libris, in quibus, characteres individuales (die Individualität) scriptorum clare exprimuntur. Secundo differentiae (non contradictiones) in narrationibus eorumdem factorum a scriptoribus exaratis, necnon circumstantia, quod scriptores sacri, non una vice, dubitative, ac indeterminate sese exprimunt. Tertio, quia si verbalis inspiratio necessaria foret, nulla s. Scripturae versio, posset verbum Dei vocari. Affert postea verba Card. Patrizi (Comm. de Script. div. ss. 6) « Quum tamen negamus, divinam inspirationem ad Scripturarum verba in universum sese porrigere, non hoc evincere volumus, nulla omnino horum verborum esse δεόπνευστα. Etenim si quae vaticinia sunt, quae non primo ore prolata, sed scripto edita fuere, credere fas est, etiam verba, quibus enuntiabantur, praecipua saltem, subinde inspirata fuisse. Idemque sentiendum de certis quibusdam verbis, in quibus tota

(1) Lehrbuch. d. Dogm. Das Wesen d. Insp. ss. 5, 4.

sive doctrinae sive argumenti moles consistit, velut nomen λόγος, Verbum, in scriptis Joannis, σπέρματι semini in Gal. 3, 16. ».

P. Pesch (1) quamvis concedat, nonnulla vocabula vel phrases, sicut vocabulum λόγος, esse inspirata, negat tamen inspirationem omnium verborum et constructionum s. Scripturae ; quae sententia, inquit ipse, afferendo verba Ubaldi, a pluribus theologis recepta est, quorum numerus magis magisque in dies crevit, ita ut nunc ab omnibus fere defendatur, relicta rigidiori illa sententia inspirationis verbalis.

Ni fallimur, aequivocatio quaedam sub vocabulo « inspirationis verbalis » latet, ita ut, vera sit P. Zanecchia (2) expressio « Inspiratio verbalis reiecta fuit, quia fuit male intellecta. » Putamus igitur utile esse, diversas significationes, quae sub voce « Inspirationis verbalis » veniunt prius explicare, et postea inspirationem Scripturae sacrae, quae a recentioribus communiter admittitur, statuere.

Saeculis XV, et XVI, tum penes catholicos, tum penes protestantes, nomine verbalis inspirationis intelligebatur, actio quaedam divina, qua verba omnia s. Scripturae, scriptoribus sacris dictata erant, ita ut ipsi nonnisi mecanice scripserint atque nonnisi scribae fuerint. Sententia haec jam ab initio saec. XI, impugnata

(1) L. c. Prop. LXI. Non aliter ac P. Pesch videtur sentire P. Berthier (De Loc. Theol. p. 81) dum scribit « Qua propter dixit olim quidam in Scripturis esse « θεῖα πάντα quoad conceptum, και ἀνθρώπινα παντα quoad expressionem. »

(2) L. c. c. 13 n. 140. Ipsemet Loisy (L'enseignement biblique, 1893 n. 8) scribebat « Jamais je n'ai pu comprendre comment les livres saints étaient des livres inspirés pour le fond, sauf l'être pour la forme ; comment les idées étant fournies à l'écrivain sacré par l'inspiration celui-ci n'avait plus qu'à se mettre en quête des mots..... L'ancienne tradition, jusqu'à Suarez inclusivement, est plutôt favorable à l'inspiration verbale. Pourquoi a-t-on commencé à l'abandonner ?

fuit ab Agobardo Episcopo Lugdunensi (Lib. adv. Fredegisum XI) per haec verba « Adparet in his verbis vestris quod ita sentiatis de prophetis et apostolis ut non solum sensum praedicationis, et modos vel argumenta dictionum Spiritus sanctus eis inspiraverit, sed etiam ipsa corporalia verba extrinsecus in ora illorum ipse formaverit. Quod si ita sentitis, quanta absurditas sequetur, quis dinumerare poterit? » Contra sententiam hanc inter protestantes, scripsit Guillelmus Lotz hisce verbis : « Necesse est relinquere, absque ulla haesitatione, explicationem antiquorum nostrorum theologorum, qui sustinebant Deum, scriptoribus sacris, ea quae scribenda erant verbo ad verbum inspirasse, ita ut scriptor nonnisi scriba sit. » (1)

Adversarii inspirationis verbalis, de verbo ad verbum intellectae, aliter verbalem inspirationem intellexerunt. Videlicet, in verbis eligendis ac in modo loquendi, absolutam libertatem scriptoribus sacris concesserunt. Res expressa erat divinitus inspirata, expressio vero humana. Possunt ita explicari differentiae styli, narrationum oppositiones, necnon individuales notae, quae in Libris sacris inveniuntur. Ad veracitatem divinam vero ac scripturae infallibilitatem tuendam, dicebant Spiritum S. scriptores sacros assistere, ne in errorem aliquem inciderent, dum res divinitus inspiratas scribebant, aliis verbis, assistentia negativa asserebatur pro verbis S. Scripturae.

Propter has controversias, nova inspirationis verbalis interpretatio orta est. Videlicet, verbalis inspiratio necessaria est ad infallibilitatem, divinamque auctoritatem Scripturae conferendam ; quamvis idearum in-

(1) Wilhelm Lotz : *Geschichte und Offenbarung in alten Testament*, Leipzig 1893, p. 206; *Revue biblique*, 1896, p. 203; 1895, p. 564.

fusio ac verbalis ipsa inspiratio, solummodo pro mysteriis capacitatem humani intellectus excedentibus, sint necessariae. Quoties scriptor sacer, ea quae naturaliter ab ipso cognoscebantur, exprimebat, assistentia Spiritus S. aderat; quae quidem assistentia, primo scriptorem sacrum praeservabat ne in errorem vel falsitatem aliquam incideret; secundo ne verba Spiritus S. indigna adhiberet. Excepto igitur casu in quo vel agitur de veritatibus revelatis, vel de verbis essentialiter necessariis ad dogma aliquod exprimendum, verbalis inspiratio excludenda est, atque inspiratio ad ideas solummodo extendenda. Veritates enuntiatae sunt Dei et a Deo, forma vero, locutio, ac idearum expressio a scriptore inspirato. Genus compositionis, divisio operis, materiei distributio, activitati liberae scriptoris relinquuntur, ac tali modo, imperfectiones, quae in Libris sacris inveniuntur, possunt explicari. Auctor principalis S. Scripturae, scriptores sacros assistit in libri compositione, et haec assistentia non solummodo removet errorem omnem a Scriptura sacra, sed ulterius positive facit ut ideae apte et fideliter exprimantur.

Adest ultimo, multorum recentiorum sententia qua docetur verbalem inspirationem Scripturae S. esse affirmandam et ita intelligendam. Videlicet, termini (verba) neque immediate revelati, neque dictati neque suggesti fuerunt scriptoribus sacris, cum ipsi propria lingua callerent; mandati tamen scripto fuere sub motionis inspirativae influxu. Scriptores siquidem sacri, ad libros scribendos inspirati sunt, et non solum ad idearum conceptionem quae in hisce libris inserendae erant. Inspiratio quae initialiter est divina ad scribendum impulsio, ad omnes scriptoris sacri actiones ad librum componendum necessarias sese extendit, neque cessat, nisi

opere completo, ita ut ne unum verbum sine initiali motione Spiritus S. scriptum fuerit. Interpretatio haec inspirationis verbalis, ab exegetis recentioribus admittitur et sustinetur. Inspiratio verbalis, bene intellecta, scribit Levesque (1), cum varietatibus styli, cum sacrorum scriptorum differentiis ac apparentibus oppositionibus, necnon cum Patrum doctrina perfecte cohaeret. Ratio propter quam a nonnullis rejecta fuit, est, quia male intellecta, quasi nempe esset, revelatio quaedam vel quaedam dictatio. Non agitur de tendentia quadam particulari, scribit P. Lagrange (2), sed de universali quodam reditu ad veterem sententiam de verbali inspiratione. Inspiratio totalis quae scriptorem sacrum, neque in expressionibus eligendis, neque in conceptuum formatione non impedit, admittenda est. Auxilium divinum inspirans cum actiones omnes scriptoris sacri antecedat, ad totum opus, etiam ad ipsa verba se extendit. Ultimis temporibus, inquit P. Calmes (3), exegetae ad sententiam de verbali inspiratione, quae Patrum et scholasticorum sententia est, redierunt. Inspiratio nisi ad omnia verba extendatur, nequit cum theologia christiana praesertim scholastica conciliari. Argumenta vero sententiae de verbali inspiratione faventia deducuntur ex ecclesiastica traditione necnon ex analysi psychologica ipsius inspirationis.

a) Ex ecclesiastica traditione. — In Ecclesia semper retentum fuit sacram Scripturam esse verbum Dei scriptum atque inspiratum. Siquidem usque ad saec. XVI, Scripturam tanquam verbo ad verbum dictatam esse exis-

(1) *Revue biblique*. Mélanges, 1895, p. 423. Cf. etiam VIGOUROUX, *l. c.*, Inspiration verbale.

(2) *Revue biblique*, 1895, p. 563; 1896, p. 200. La Méthode historique. Notion de l'inspiration.

(3) *Qu'est-ce que l'Ecriture sainte?* § 5 : Étendue de l'inspiration.

timatum fuit, et ipsemet sacer scriptor, nonnisi veluti scriba quidam fuit recognitus. Modo verbum Dei scriptum et inspiratum complectitur non solummodo ideas, sed ideas prouti per verba exprimuntur, aliis verbis, ideas cum verbis et in verbis. Inspiratio divina igitur ad ideas et verba omnia Scripturae sacrae, extendenda est. Rursus cum verba sint signa intellectus, verba et ideae ita inter se connectuntur, ut nequeant ideas a Spiritu Sancto scriptori sacro inspirari, quin simul aliqua actio divina exerceatur in scriptore sacro, pro verborum atque expressionum electione. In hac autem actione verbalis inspiratio bene intellecta consistit ; ideoque ideae inspiratae a Deo sunt, inspirata a Deo verba ipsa Scripturae sacrae. (Cf. Vigouroux, l. c.)

b) Ex analysi psychologica inspirationis. — Quoties penes catholicos de sacrae Scripturae inspiratione fit sermo, adhibetur S. Thomae expressio circa S. Scripturas, idest « Spiritus Sanctus est auctor, homo vero instrumentum. » (1) Modo in subordinatione causae principalis et instrumentalis, activitas utriusque causae ita exercetur, ut totus effectus sit tribuendus causae principali ac instrumentali simul non partim uni, et partim alii. Non sic idem effectus, inquit Angelicus (2), causae naturali et divinae virtuti attribuitur quasi partim a Deo et partim a naturali agente fiat, sed totus ab utroque secundum alium modum : sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, et principali agenti etiam totus. Tota igitur Scriptura, tum quoad ideas tum quoad verba a Deo est, Deus scriptori sacro utrumque spirat.

(1) Quodl. VII, q. VI, a. 16. Vivès XV.

(2) *C. Gent.*, l. III, LXX, 3. P. Pégues haec verba commentans (*Revue bibl.*, 1897, p. 76-77) scribit : « Donc encore une fois tout dans l'Ecriture est de Dieu et tout y est de l'homme ; mais de l'homme comme instrument, et de Dieu comme de l'auteur principal. »

Scriptura, scribit optime P. Calmes (1), est totum quoddam organicum, cuius elementa, non sine violentia separari possunt. Deus est auctor verborum necnon idearum : homo quoque idearum ac verborum auctor. Totum a Deo est, tanquam a causa principali, cum concursu tamen causae instrumentalis, quae est homo.

Post dicta videtur nobis sententiam P. Pesch, in aliquo deficere, et in aliquo abundare. Deficit in hoc quod verbalem inspirationem reiicit, quam quidem inspirationem affirmandam esse vidimus. Abundat, dum asserit non omnia vi inspirationis esse eodem modo vera ; in inspiratione siquidem bene intellecta « restrictio illa » facile includitur, quin nulla habeatur necessitas, eam apertis verbis enuntiandi.

17. Novissima opinio E. Leclair. Quae hucusque notavimus circa inspirationem, jam scripta erant, quando in Ephemeride cui titulus est *Annales de Philosophie chrétienne* (déc. 1904, p. 250-226) nova explicatio, si ita vocari potest, Prof. Leclair apparuit. Scriptor iste docet : 1° esse factum evidens in S. Scriptura contineri errores scientificos. Impossibilia siquidem sunt, quae Scriptura tradit de scientia physica, biologica, geologica, astronomica, et mathematica. Matthaeus, ex. g. (27, 9) tribuit Jeremiae, prophetae, quæ ipsius Jeremiae non sunt ; dum alibi (Gen. VI, 20 ; VII, 3) apertae contradictiones inveniuntur. 2° Opinionem sustinentem, errores scientificos in Scriptura sacra contineri, nondum fuisse definitione aliqua Ecclesiae damnatam. Nam Concil. Florentinum (1431) extensionem inspirationis non definivit, et nonnullis ex theologis catholicis sicut Erasmo, licuit sustinere

(1) *L. c.*, p. 58.

sacros scriptores « errare quaedam et labi errareque alicubi judicio sive affectu » dum A. Pighius asseruit, quod « Matthaeus et Joannes evangelistae potuerunt labi memoria et mentiri » et Benedictus Pereira S. J. inspirationem sancto Lucae denegavit. Pariter Conc. Tridentinum affirmavit omnes libros « cum omnibus suis partibus » esse inspiratos, sed non determinavit quid pro illis partibus sit intelligendum. Conc. Vaticanum iterum attulit Conc. Tridentini decretum, ideoque de utroque idem judicium ferendum est. Remanet examinanda Epistola « Providentissimus Deus » Leonis XIII. Verum, *a*) pontificium scriptum non est de fide, cum pontificum declarationes characterem dogmaticae definitionis non induant. *b*) Ibi nihil definitum fuit, neque error aliquis, tanquam haeresis damnatus. *c*) Pontifex manifestavit solummodo propriam personalem opinionem, et opiniones personales Pontificis nullum valorem habent in rebus fidei.

Argumento vero a theologis contra sententiam Leclair opposito atque hisce verbis expresso = Deus nequit esse auctor erroris : sed si errores scientifici admittuntur in S. Scriptura, Deus esset auctor erroris. Ergo non sunt errores scientifici in S. Scriptura = ipsemet Leclair dat sequentem responsionem : « Ut argumentum hoc, aliquid valeat, ita enuntiandum est = Deus nequit esse auctor erroris. Sed Deus est auctor omnium partium sacrae Scripturae quæ inspiratae sunt *a*) eodem modo, *b*) tali modo ut ab omni errore tum historico tum scientifico praeservatae fuerint. Ergo nullus error neque scientificus neque historicus continetur in S. Scriptura. = Verum propositio illa « partes Scripturae *a*) eodem modo inspiratae sunt ; *b*) immo tali modo ut ab omni errore tum historico tum scientifico praeservatae fuerint » supponit completam definitionem Ecclesiae

circa inspirationis divinae extensionem, quae definitio nunquam ab Ecclesia lata fuit. Igitur theologorum argumentum pro inenarrantia Scripturae sacrae, neque a priori, neque a posteriori valet. Non a priori, quia supponit definitionem Ecclesiae, quae nondum habetur; non a posteriori quia de facto in S. Scriptura multi errores continentur.

Leclair sustinet 3°, opinionem quae docet distinguendos esse duos inspirationis gradus, unum pro rebus scientificis, alterum pro rebus fidei non esse contra fidem.

a) Quia traditio hunc duplicem inspirationis gradum respectu partium sacrae Scripturae recognoscit. Nam Origenes (Praef. in Ioa. 5) de locis quibusdam Epistolarum S. Pauli ait: « Ab ipso scripta, et juxta potestatem, non tamen secundum accuratam sinceritatem sermonum, qui sunt ex divina inspiratione. » S. Ambrosius (In Luc., l. 8, 8): « Ostendit autem hic locus, quae propter fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo scripta. Unde et Apostolus : Denuntio, inquit, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Caeteris, inquit, ego dico, non Dominus. » S. Hieronimus (In. Ierem., c. 28, 5, 10-11) : « Quasi non multa in Scripturis sanctis dicantur... non juxta quod rei veritas continebat. »

b) Concil. Tridentinum (Sess. IV die 8 April. 1546) dum asseruit libros « integros cum omnibus suis partibus » esse suscipiendos, noluit inspirationem extendere ad res scientificas et historicas sed solummodo P. Pereira S. J., qui inspirationem aliquibus libris denegabat, reprehendere. Sententia igitur de duobus gradibus inspirationis non fuit damnata.

Ex iis, quae supra n. 14 contra Holden, di Bartolo, et Newman sententias dicta fuere, apparet quid sentien-

dum sit de E. Leclair opinione. Placet nobis duo solummodo animadvertere. 1° Exegesim Leclair textibus Concil. Florentini et Tridentini necnon Epistolae Leonis XIII circa inspirationem aliqualem violentiam inferre. 2° Non recte fuisse ab auctore adhibitum vocabulum « error » propter expressiones quasdam parum scientificas sacrorum scriptorum. Siquidem prouti P. Lagrange, duce Angelico, jam notavit (1), scriptor sacr« ea secutus est, quae sensibiliter apparent » ideoque noluit de intima aliquarum rerum natura judicium proferre. Modo, quoties judicium non profertur, neque affirmatio, neque negatio habentur, et consequenter nec error, cum veritas et error nonnisi in formali judicio inveniantur.

(1) L. c. Notion de l'inspiration. P. Prat. (*La Bible et l'Histoire*, chap. 2, § 2. Conséquences pour l'exégèse) non aliter sese exprimit : « Ce qui n'est pas taxé d'erreur dans un livre profane, qui n'a pas la prétention d'enseigner la science, ne peut pas l'être davantage dans un écrit inspiré. »

DE DOGMATIS EVOLUTIONE

Art. I.

QUID SIT DOGMA, QUID ET QUOTUPLEX EVOLUTIO.

18. Quaestio de dogmatis evolutione resolvi nequit nisi prius conceptus « dogmatis » et conceptus « evolutionis » bene determinentur, aliis verbis, nisi videamus, quid sub hisce vocibus, praesertim a modernis intelligatur. Possumus dicere, hac in re dari duplicem excessum. Primo est excessus eorum qui asserunt : « Omnes ideas evolutionem suam habere, imo quo magis doctrina aliqua perfecta est, eo magis evolvi. » Secundo est excessus eorum qui sustinent « Evolutionem omnem falsitatis esse signum. Solae siquidem haereses novae sunt, dum Ecclesia catholica, sine ulla mutatione ab initio existens, satis ostendit, esse supra petram solidam principiorum fundatam, atque spiritu qui nunquam mentitur dirigi » (1).

19. Quid nomine « dogmatis » intelligatur.

Vox dogma « δόγμα » potest multa significare, videlicet imperium, decretum, vel doctrinam, quae imponuntur. In sensu « imperii », ait Lucas (2,1) : « Exiit edictum a Caesare Augusto » ; in sensu « decreti » legitur Act. 16, 4 : « Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta ab Apostolis. »

(1) Cf. Bremond, *Newman, Le développement du dogme chrétien*, Introd., p. x-xi.

In sensu doctrinae, Tullius (Acad., lib. 2,9) scribit : « Sapientiae vero quid futurum est ? Quae neque de seipsa dubitare debet, neque de suis decretis quae philosophi vocant δόγματα, quorum nullum sine scelere prodi poterit. » In usu ecclesiastico, vox « dogma » doctrinam significat (1). S. Gregorius Nys. accipit vocabulum « dogma » ad obiectum fidei christianae designandum, Epistola enim 24, scribit : « In duo dividens Christianae reipublicae statum et in moralem partem et in decretorum accuratam rationem. »

Circa « dogmatis definitionem », dissentiunt scriptores. Iuxta Harnack (2) dogma in suo conceptu, atque in sua structura consideratum, est « effectus quidam laboris a Graecorum intelligentia exerciti circa ipsum Evangelium. » Videlicet, scripta quaedam christiana vel ante Christianismum existentia, necnon quaedam traditiones orales, considerata fuere, tanquam originem divinam habentia. Ex hisce, articuli quidam fidei, ad invicem colligati fuerunt deducti, et postmodum, modo utique abstracto sed presso, enuntiati, eo fine ut tractatus methodo scientifica atque apologetica digesti, de illis haberi possent. Articuli isti omnes simul sumpti, « dogmata » appellantur, quae quidem dogmata prouti ex historia resultat, non sunt, neque pura expositio evangelii, neque eadem permanserunt, sed a theologia, atque a theologis formata sunt.

Nomine dogmatis scribit Loisy (3) catholicus vir intelligit veritatem aliquam revelatam, immobilem, quae vindicat sibi divinam auctoritatem. Conceptiones tamen,

(1) Cf. Tixeront, *Histoire des Dogmes*, I. Introd.

(2) A. Harnack, *Récits de l'Histoire des Dogmes*. Traduit par Eug. Choix, Int., p. ix-x.

(3) *Autour d'un petit livre*. Lettre à un jeune savant. I. L'Evangile et L'Eglise. Le dogme chrétien. II.

quas Ecclesia tanquam dogmata revelata praesentat, non sunt veritates de caelo descensae, neque sub forma illa in qua primitus apparuerunt a traditione religiosa servatae. Pro historico, conceptiones istae non sunt nisi interpretatio quaedam factorum religionis, mediantibus conatibus, et quidem laboriosis theologiae, acquisita. Dogmata sunt divina quoad originem et substantiam, humana quoad structuram et formationem.

Iuxta P. Pesch (1) dogma nihil aliud est « nisi decretum definitivum » et ex usu loquendi dogma dicitur « Sola veritas per se revelata ». Dogmata dividuntur : *a*) in necessaria, quae non dependent a libera voluntate Dei, ut mysterium SS. Trinitatis, et libera, quae in liberis Dei decretis fundantur, ut constitutio Ecclesiae ; *b*) in theoretica, quae credenda tantum proponunt et practica, quae etiam facienda praescribunt, ut omnem hominem baptizandum esse, ut ad vitam aeternam pervenire possit. Rursus, eo ipso, quod dogma tam clare in S. Scriptura vel in aliis fontibus theologicis continetur, ut etiam sine definitione concilii de hac re dubitari non possit, dicitur dogma fidei divinae. Illud dogma, quod a concilio vel a summo pontifice omnibus credendum proponitur, dicitur dogma fidei definitae.

Juxta Labeyrie (2) Ecclesia mediante publica praedicatione, non imponit acceptationem omnium veritatum quae in revelationis deposito continentur, vel quae tanquam doctrinas theologicas docere tenetur. Veritates, quas de facto Ecclesia praescribit, catholicae rigorose loquendo vocantur, hoc est, quae universaliter valent, atque universaliter obligant. Quoties in textibus Scripturae ab Ecclesia authentice promulgatae, veritates quaedam claris et non dubiis formulis discooperiuntur,

(1) *Instit. Propaed.* Pars. II[a], Sect. V, n. 590.
(2) *La science de la foi*, IV[e] partie, chap. xv, 2.

tenemur eas fide divina credere. Veritates tamen istae, non constituunt dogma divinum ac catholicum, nisi ab ipsa Ecclesia fidei nostrae proponantur, atque ab ea decisionibus solemnibus pontificum aut conciliorum irrevocabiliter definiantur, vel nisi a magisterio ordinario eius edoceantur. Adest igitur differentia inter dogmata catholica, et veritatem catholicam; quam quidem differentiam Puis IX, die 8 sept. 1852, scribens ad Sardiniae regem satis per haec verba indicavit: « Dogma fidei est matrimonium a Domino nostro Jesu Christo elevatum esse ad dignitatem sacramenti, et est doctrina Ecclesiae catholica sacramentum non esse qualitatem accidentalem contractus. » Ideoque, dogmata non sunt aliud nisi veritates quaedam in S. Scriptura contentae, ab Ecclesia solemnibus pontificum vel conciliorum decisionibus definitae, vel a magisterio ordinario eius edoctae.

Dogmata theologica, ait Newman (1), sunt propositiones nonnullae quae exprimunt judicia efformata ab anima, vel impressiones, ab ipsa veritate revelata causatae in anima. Revelatio ponit coram oculis animae, facta quaedam, actiones quasdam, entia et principia quaedam supernaturalia quae in anima ipsa impressionem aliquam vel imaginem causant.

Impressio haec, sponte et étiam necessario fit obiectum reflexionis animae quae incipit obiectum hoc examinare, atque per successivas et distinctas propositiones exponere. Ita ex. g. doctrina de peccato originali, vel de eucharistia, vel de justificatione, non est nisi expressio fidei intimae catholicorum circa diversa illa obiecta, per analysim fidei illius efformata.

Dogma juxta I. Tixeront (2) est veritas revelata, atque

(1) H. Brémond, *Newman, Le développement du dogme chrétien; Théorie des dévelop. dans la doct. rel.*, rel. x.

(2) *Histoire des Dogmes*, I. Introd. 1.

ut talis ab Ecclesia definita, et cuius acceptatio, fidei christianorum imponitur. Veritates istae simul sumptae, dogmata vocantur. Rigorose loquendo, dogma et doctrina christiana distinguuntur inter se. Nam dogma, interventionem explicitam Ecclesiae supponit, quae circa punctum aliquod determinatum doctrinae aliquid statuit; doctrina christiana vero majorem extensionem habet, complectitur enim non solummodo dogmata definita sed etiam doctrinas, quae cum certa approbatione magisterii Ecclesiae, sunt obiectum ordinarium et commune praedicationis. Dogmata non sunt nisi quaedam versio in formulas a lege statutas (techniques) rigoroso atque stricto sermone facta, eorum quae in revelatione continentur doctrinarumque Scripturae, vel primitivae Traditionis christianae. Inter Iesu Christi vel S. Pauli doctrinas, ac concilii Nicaeni, vel concilii Tridentini doctrinas non adest certe, verborum similitudo, habetur tamen aequipollentia, et fundamentalis identitas. Posteriores doctrinae exprimunt priores.

Dogmatis nomine nos intelligimus, veritates nonnullas implicite vel explicite revelatas, ab Ecclesia pressis ac determinatis verbis definitas, atque a fidelibus tanquam de fide, et firmiter retinendas impositas, ita ut, a nemine catholicorum negari possint, quin separationem ab Ecclesia incurrat. Conditiones igitur ad dogma habendum necessariae sunt, *a*) revelatio explicita vel implicita; Ecclesia enim nequit definire et tanquam dogmata imponere ea quae neque explicite, neque implicite revelata sunt *b*). Definitio Ecclesiae clara et explicita, agitur enim de supremis veritatibus ad revelationis depositum cuius Ecclesia est custos, pertinentibus. *c*) Poena exclusionis ab Ecclesia ei imposita, qui definitionem Ecclesiae renuit acceptare.

20. Recentissimae quaedam dogmatis conceptiones enumerantur.

Mense Aprili a. 1905, Eduardus Le Roy (1) quaerebat : Quid est dogma? Scriptor iste, antequam propositae quaestioni respondeat, recentiorum difficultates contra dogmatis conceptionem recenset. Difficultates istae possunt sequenti modo recapitulari.

1° Dogma est propositio quaedam, quae ex semetipsa neque demostrata est, neque demonstrabilis demonstratione intrinseca. Modo, a sapientibus hodiernis nulla veritas acceptatur, nisi demonstrata fuerit, et quidem argumentis directis et specificis.

2° Dogmata nonnisi indirecte et ab externo probantur. Sunt veritates quae quasi per violentiam in intellectum hominis intrant. Modo, hodie, si philosophi et sensu philosophico praediti esse volumus, « principium immanentiae » admittendum est ; juxta quod principium, uti Blondel asseruit, veritates religiosae nonnisi si ab intimo proveniant, ab hominibus acceptantur, imo ab intimo eas provenire necesse est.

3° Dogmata, sive propter metaphoras, sive propter formulas a systematibus philosophicis Platonis et Aristotelis, quae amplius non admittuntur, desumptas, dant locum multis aequivocationibus, ita ut intellectus non videat clare quid determinate affirment, quid determinate negent. Modo hodie, unusquisque definit clare, quid determinate affirmet, quid determinate neget.

4° Dogmata sunt : *a*) veritates immutabiles sine ullo progressu ; *b*) veritates transcendentales, nullam relationem ad vitam realem intellectivam habentes. Modo hodie, nulla veritas immobilis est ; veritas quaelibet rursus, realem influxum exercet in vitam intellecti-

(1) *La Quinzaine*, 1905, p. 494-526.

vam, imo quo major est progressus et influxus, eo nobilior est veritas. Difficultates istae, fundantur omnes in conceptione dogmatis, quae de facto non est catholica, quaeque conceptio, mere intellectualis est, et nonnisi secundario moralis et practica. Ex hac falsa notione multa inconvenientia oriuntur. Ex. g. sint haec tria dogmata : « Deus est personalis » ; « Christus resurrexit » ; Christus est realiter praesens in Eucharistia. » Si primum dogma « Deus est personalis » mere intellectualiter accipiatur quot difficultates oriuntur primo ex vocabulo « Deus » secundo ex vocabulo « personalis » ? Si vocabulum hoc « personalis » definitur, tunc habetur Antropomorphismus ; si non, habetur Agnosticismus. Pariter, si sit mere intellectualis conceptio huius dogmatis « Christus resurrexit » nonnisi metaphora quaedam habetur. Nam quid significat resurrectio ? Non significat certe Christum apparuisse in eodem ac identico statu in quo inveniebatur ante suam crucifixionem. Jesus siquidem a mortuis resurgens, gloriosus est, neque amplius subiectus legibus physicis. Notio igitur vitae respectu Christi in statu glorioso existentis non est eadem ac notio vitae in genere, non habet eamdem significationem nequit exprimi, metaphora quaedam est. Denique sit dogma « Christus est praesens realiter in Eucharistia ». Eadem inconvenientia habentur, si conceptio illius mere intellectualis sit. Praesentia haec Christi nequit definiri, nequit analysi subiici, nullum sensum habet. Aliter igitur procedendum est, ad veram dogmatis notionem habendam. Videlicet :

1° Dogma habet significationem negativam ; potius quam determinare positive veritatem, damnat errorem. Dum ex. g. dicitur « Deus est personalis » significatio huius expressionis est : « Deus non est inpersonalis, non est lex quaedam, categoria quaedam. » Dum dici-

tur « Christus est praesens in Eucharistia » significatio est : « Hostia consecrata non est tantum symbolum et figura Christi. » Dum dicitur « Christus resurrexit » significatio est : « Mors non posuit terminum activitati Jesu Christi, non fuit pro Christo id quod pro caeteris hominibus est. »

2° Dogma habet significationem practicam, enuntiat primitus praescriptionem quamdam pertinentem ad ordinem practicum, est formula quaedam dirigendi vitam practicam (Règle de conduite pratique). Ex. g., dogma istud « Deus est personalis » non significat aliud nisi : « In tuis relationibus cum Deo, age ita sicut, cum persona humana agere, tibi consuetum est. » Pariter dogma « Christus resurrexit » significat : « In tuis relationibus cum Christo esto, sicut tu esses cum Christo ante mortem suam, sicuti es cum persona tibi coaeva. »

Denique dogma « Christus est praesens in Eucharistia » significat : « Esto coram hostia sicut coram Jesu Christo visibiliter praesente. » Animadvertendum tamen est, quod per vocem « practica » intelligenda sunt vocabula illi synonima quae sunt « actio et vita » et quidem vita mentis (vie de la pensée) ita ut relatio quaedam inter cogitationem et dogma existat, et valeat formula, quae nequit latine a nobis reddi : « Epreuve d'expérience vécue, et non pas dialectique intellectualiste. »

3° Quamvis autem dogma in se et per se significationem practicam habeat, tamen realitas quaedam mysteriosa illi respondet, ita ut dogma problema theoreticum intellectui proponat. Hinc concludendum est :

1° Conceptio intellectualis dogmatis qualis hodie viget reddit insolubiles difficultates ex idea dogmatis exurgentes. 2° Doctrina nova, secuudum quam primatum aliquod actioni conceditur omnia solvit, quin nulla offen-

sa vel juribus intellectus, vel dogmatis exigentiis inferatur.

Quaestio mota a Le Roy, fuit veluti scintilla, et die 20 Aprilis 1905, Professor quidam (1) plausum faciens assertionibus Eduardi Le Roy, sequentia addebat. 1° Dari in dogmate catholico evolutionem. 2° Evolutionem hanc non consistere in hoc, quod crescat progressu temporis cognitio nostra dogmatis, quin dogmata obiective crescant. 3° Neque consistere in hoc quod dogmata continuo sese evolvant et haec continua evolutio operetur in nobis. 4° Evolutionem dogmatis fieri secundum theoriam a Newman edoctam. Videlicet in dogmate invenitur : *a*) id quod continetur in Scriptura et traditione, quodque vocatur « germen dogmatis » substantia dogmatis. *b*) Organisatio dogmatis mediantibus formulis a philosophia desumptis. Crescit germen sicut crescit germen plantae et ideo evolutio fit respectu germinis. Formulae vero habent veritatem relativam, consequenter 1° inadaequatae sunt ; 2° retinent defectus et characteres temporis, 3° sunt perfectibiles.

Secunda responsio circa quaestionem « quid est dogma » data fuit a Parocho Desjardins. Iste (2) laudans theoriam de « principio immanentiae » atque theoriis Newman reassumptis, videtur duo circa dogma tenere. 1° Dogma esse aliquid negativum habens sensum moralem et practicum. 2° Basim ac originem dogmatis esse impressionem religiosam. Desjardins, multa scribit, sed nihil dicit, et clare apparet ut ipse fatetur, reflexiones suas scripsisse « à la hâte entre deux stations à l'église et deux courses à son annexe. »

Tertia responsio data fuit a quodam presbytero Mi-

(1) *Quinzaine*, 1905, p. 241-247.
(2) *Ib.*, 247-254.

chel (1). Iste, postquam conatus est solvere difficultates contra naturam dogmatis ab E. Le Roy allatas, duo concludit. 1° Non esse utile cathechistarum mentem occupare cum iis quae in Dei notione cognoscibilia non sunt. 2° Difficultates potius quam contra naturam dogmatis et dogmata, moveri contra factum revelationis eorumdem.

Quarta responsio a quodam anonymo H. G. data (2), definit dogma sequenti modo. Dogma est « quaedam certitudo, modus quidam attingendi realitatem obiectivam, spiritualem, vel materialem. » In eadem responsione distinguitur triplex certitudo, videlicet *a*) certitudo quae in scientiis physicis et naturalibus habetur; *b*) certitudo quae habetur in scientiis moralibus et historicis, *c*) certitudo quae habetur, in scientiis abstractis. In pueris et in populo, circa « credo » datur primum genus certitudinis. Secundum genus certitudinis respondet fidei religiosae E. Le Roy; tertium genus denique respondet dogmaticae quae est « Mathematica dogmatis. » Alia responsio (3) data est a P. Sertillanges, cui responsioni Eugenius Franon (4) oppositionem fecit. Sertillanges concessis quibusdam domino Le Roy, declarat: 1° Dogma esse laternam (lanterne ?) non solem, quia revelationis scopus est, non constituere nobis scientiam, sed nos perducere in finem. 2° Distinguenda esse tria momenta dogmatis, in quorum primo, dogma sé praesentat, non tanquam terminum scientiae sed vitae. Ita articuli symboli, qui sunt obiectum fidei. In secundo momento, dogma tali modo formulis exprimitur, ut intellectus noster ex illo vivat.

(1) *Quinzaine*, p. 254–258.
(2) *Ib.*, 258-260.
(3) *Ib.*, 413–419.
(4) *Bulletin de Toulouse*, juin 1905. « Un scholastique anti-intellectualiste. »

Tunc habetur phasis theologica, habentur systemata humana, necnon vestis philosophica mutabilis. In tertio momento, dogma habet phasim deviationis, quae secum affert definitiones quae nonnisi exclusiones sunt. Qui potest capere capiat! Alia responsio data a d. Jousse de la Motte (1) ita recapitulari potest. 1° Dogma est « symbolum fidei. » Formula tamen non est clara, quia tum vocabulum « dogma » tum vocabulum « fides » indigent explicatione. Fides est « quaedam moralis dispositio »; dogma est « expressio fidei » et se habet ad fidem, sicut verba ad cogitationem. Dogma vero exprimitur signis sensibilibus necnon intellectualibus, uti sunt ritus, et formulae abstractae. 2° Est Ecclesia. Fides siquidem religiosa est expressio conscientiae collectivae, a qua auctoritatem habet. Hinc nova significatio vocabuli dogmatis, idest, dogma est « regula fidei. » 3° In dogmate est fides et formula. Evolvitur fides, formula transformatur.

Sub litteris F.P. (2) nova responsio maxime favens theoriae D. Le Roy data fuit. Scriptor, repetens ea quae ab aliis scripta sunt, theorias immanentiae et relativismi acriter propugnat. Pro ipso, dogmata sunt, expressio theoretica sensus, ab Ecclesia docente (officiellement) approbata, quem sensum de Deo abscondito, necnon de Christo vivente, Ecclesia discens habet. Formula dogmatica est simul sacra et profana, vera et inadaequata; orta est uno tempore, alio tempore elaborata. Ecclesiam formulam hanc transmittit, atque ad philosophos et sapientes pertinet in formula illa, veritatem foecundam vitae invenire. Dogmata sunt causae vitae nostrae religiosae ; formulae Ecclesiae, nonnisi symbolorum collectio sunt.

Die 16 Julii tres novae responsiones in eadem Epheme-

(1) *L. c.*, 547-550.
(2) *L. c.* 550-557.

ride apparuerunt. In quarum prima, notio traditionalis dogmatis defenditur. Ab hac notione non excluditur actio personae dogmatibus Ecclesia assentientis, quaeque actio fit sub influxu gratiae et libertatis humanae. In secunda, manifestantur pericula doctrinae a D. Le Roy adsertae, et notio dogmatis essentialiter et primario intellectualis defenditur. In tertia D. Le Roy eiusque theoriae non sine quadam vivacitate reprehenduntur.

I. Wehrlé in suo articulo « De la nature du dogme » (1) declarat aperte, notionem dogmatis ab E. Le Roy traditam non posse a catholico viro acceptari. Distinctio vero ab eodem scriptore facta inter formulam dogmaticam et realitatem illi respondentem, juxta Wehrlé est retinenda tanquam arbitraria, aequivoca, et periculosa ; si enim spernatur formula, dogma spernere necesse est. Solutis vero difficultatibus contra dogmatis conceptionem propositis concludit, dogmata habere pro nobis non solummodo significationem quamdam, sed ulterius significationem positivam. Circa vero interpretationem practicam dogmatis datam a D. Le Roy tenet, interpretationem hanc anthropomorphismum moralem introducere, ideoque inutiliter fuisse defensam ad anthropomorphismum metaphysicum impugnandum.

Professor et Collega noster in Universitate Friburgensi P. Allo (2), praemissis quibusdam circa quaestionem a Le Roy motam, atque examinata gradatim conceptione dogmatis ab eodem tradita, qua dogma asseritur habere « significationem negativam, practicam, esse regulam practicam » procedit ad dogmatis definitionem. Dogmata juxta P. Allo sunt. 1° « Propositiones

(1) *Revue Bibl.* 3 juillet 1905, p. 323-349.
(2) *Quinzaine*, 1er août 1905.

quaedam sive mere speculativae, sive cum historia essentialiter connexae, quas magisterium doctrinale christianorum fidei imponit, tanquam exprimentes veritates, quarum obiectivitas postulatur, ut vita spiritualis a Christo, mundo allata, permaneat et evolvatur. » 2° Propositiones istae si exprimunt facta mundi visibilis (uti sunt conceptio virginalis, resurrectio) sunt accipiendae, prouti littera sonat, non semper secundum technicum et secundarium sensum, sed secundum sensum obvium et positivum terminorum. Si vero exprimunt facta alterius mundi, tunc habent sensum intellectualem et positivum, sed tamen obscurum, quia non est sensus analogicus neque univocus sensui usuali horum terminorum.

P. Pègues O. P. (1) allatis diversis responsionibus, quaestioni « quid est dogma » datis, necnon rejecta conceptione dogmatis E. Le Roy ita dogma definit : « Est veritas quaedam, quae intrinsece neque demonstratur, neque demonstrari potest, sed solummodo extrinsece ; ideoque quaecumque sint exigentiae intellectus recentiorum, impossibile est nobis, illis veritatem dogmatis intrinsece demonstrare, atque facere ut possint intimas rationes veritatis illius percipere. »

Relinquimus responsiones datas circa notionem dogmatis a quibusdam aliis uti a P. Portalié, Fontaine et P. Semeria, qui, uti ei mos est, novitatibus continuo indulget (2). Placet nobis afferre notionem dog-

(1) *Revue thomiste*, sept.-oct. 1905.

(2) *Etudes*, 5 août 1905. — *Science catholique*, sept. 1905. — *Studi rel.*, f. IV, p. 362. Clar. P. Semeria stylo oratorio scribit : « Ma ora, dei giovani valorosi come il Le Roy, studiano meglio il meccanismo interiore di questa vitale crescensa dogmatica, armonizzante fatti storici piu largamente è piu precisamente conosciuti con principii filosofico-religiosi meglio è piu debitamente approfonditi. » Semeria est orator, et oratoribus, quidlibet audendi est aequa potestas.

matis traditam a Professore Nogara (1). Dogma juxta ipsum est « Veritas revelata, atque ab infallibili Ecclesiae magisterio proposita... Est veritas excedens ac superans vires humanae intelligentiae. » Apparent itaque *a*) origo divina dogmatis ; *b*) differentia inter dogma et veritatem theologicam ; *c*) relatio dogmatis primo et principaliter ad intellectum, et nonnisi secundario ad voluntatem. Dogma siquidem est veritas quae ad credendum proponitur ; veritas autem respicit intellectum et credere, assensus intellectus est.

Post tot, tantas que disceptationes, mense Januario (1906) Eduardus Le Roy (2) qui hisce omnibus occasionem dederat, iterum circa dogmatis notionem scripsit, partim explicando necnon temperando conceptiones suas, partim eas defendendo. Brevitatis causa, unum sollummodo notamus, idest, Le Roy aliquando, verbis oscitantibus vagis ac indeterminatis usum fuisse in re tanti momenti, in qua verba clara, determinata, nullam occasionem aequivocationibus praebentia, quam maxime necessaria sunt.

21. Quid evolutio sit, et quid sub « dogmatis evolutione » intelligatur.

Vocabulum « evolutio » juxta Newman (3) triplicem significationem habere potest. Videlicet aliquando accipitur pro actione ipsa evolutiva, aliquando pro illius effectu, aliquando pro evolutione quacumque in generali, sive vera, sive falsa. Diversa genera evolutionis dantur sicut ex. g. in matheseos veritatibus, in viventibus, in rebus politicis, in affectibus, etc. Intellectus respectu alicuius obiecti, enuntiat propositiones ali-

(1) *Scuola cattolica*, novembre 1905.
(2) *Revue biblique*, 1er janvier 1906.
(3) Newman, *l. c.*, p. 37-38, 113.

quas, nesciens quoadusque se extendere possunt. Una propositio ad aliam ducit,haec ad tertiam,et in tali casu, restrictiones quaedam necessariae sunt. Restrictiones istae ad invicem comparatae iterum novam evolutionem ideae primitivae causant, quae quidem idea totaliter exhausta dici nequit. Processus iste, evolutionem constituit, quae evolutio series quaedam est, vel melius corpus quoddam enuntiationum dogmaticarum eo usque se extendens, ut id quod nonnisi impressio quaedam erat supra imaginationem, pro ratione humana fiat systema quoddam vel fides. Vel dici potest quod evolutio sit, labor quidam intellectualis, qui gradatim, sensu sine sensu, lucem affert, atque clare manifestat diversos adspectus unius ideae, est germinatio quaedam, fructus quidam veritatis alicuius, aut apparentiae veritatis, pluribus intellectibus communicatae. Iuxta Günther (1), dogmatis evolutio non aliud esse videtur nisi progressus quidam indefinitus expressionum atque conceptuum dogmaticorum, a diversis conditionibus cultus scientifici temporis alicuius dependens. Videlicet ab initio Christianismi nonnisi incomplete veritates revelatae cognoscebantur. Ex hac incompleta cognitione duo necessario sequuta sunt, *a*) doctrina apostolorum imperfecta erat; *b*) respectu novae scientiae dogmaticae, quae illis substituenda erat, imperfectae erant etiam Pontificum atque Conciliorum definitiones.

Ecclesia, conditionibus scientiae humanae inspectis, coacta fuit ad interpretationes, quae ei meliores videbantur eligendas, hinc factum est, quod decisiones ipsius, cultui civili et scientifico necnon temporis conditionibus, proportionem haberent. Decisiones istae tempore quo latae sunt, perfectae videbantur, tamen

(1) Cf. Labeyrie, *Science de la foi*, V^e^ partie, ch. vii.

de facto, nonnisi veritatis partem continebant; ideoque necesse fuit, ut propter posteriores progressus loco earum, novae assertiones, veritati absolutae proximiores, substituerentur. Aliis verbis, Ecclesiae decisiones non sunt nisi successio quaedam, formularum relativarum sine valore determinato, ac actualibus necessitatibus proportionem intellectualem habentium. Günther affert exemplum, evolutionis harum decisionum. Concilium Ephesinum ex. g., propter saeculi quinti doctrinam psychologicam, divisionem Hominis-Dei in duas personas, divinam nempe et humanam rejecerat. Declaratio Concilii, qua asserebatur Verbum aeternum a primo instanti Incarnationis fuisse Humanitati hypostatice unitum, habebat veritatem relativam. Quia vero philosophia progressa est, Theologia Philosophiae evolutiones sequuta est ; et quamvis admittendae fuissent in Christo duae personae realiter distinctae, persona divina et humana, tamen nonnisi unica persona hominis-Dei admissa fuit. Igitur nonnisi progressu temporis et laboris, mens humana veritatem revelatam intelligere potest.

In controversia de dogmatis evolutione, Loisy (1) diversa distinguit. Datur videlicet, *a*) obiectum ideae, *b*) veritas quae fit humano intellectui accessibilis, *c*) forma quam veritatis cognitio in historia humana induit, *d*) denique revelatio ipsa homini facta. Obiectum ideae, aeternum atque immutabile in se est. Veritas prouti fit accessibilis humano intellectui, est aliquid relativum, conditionatum, perfectibile : est mutabilis sicut intellectus ipse mutabilis est. Veritas non intrat totaliter in mentem humanam sed gradatim et partialiter, et intellectus circa ipsam in continua activitate est, ita ut cum

(1) *Autour d'un petit livre.* Lettre à un jeune savant.

ipso et in ipso veritas evolvatur. Revelatio pariter fit homini secundum humanae naturae exigentias et capacitatem, et aliud non est, nisi « conscientia acquisita ab homine de suis relationibus cum Deo ». Igitur per novarum relationum hominis ad Deum perceptionem, revelationis evolutio fit. Rursus quando agitur de veritatibus ordinis religiosi, activitati intellectus, addenda est, activitas voluntatis. Homo quaerit, Deus hominem excitat. Revelatio realiter fit in homine, sed est effectus Dei in ipso, cum ipso et per ipsum. Revelationis causa efficiens et obiectum, supernaturalia sunt, causa enim haec et obiectum, Deus est, sed Deus agit in homine et ab homine cognoscitur. Praeterea, revelationis conceptus per symbola quaedam imperfecta, necnon modificationis et profectus capacia, constituitur et revelatio in hisce symbolis mutabilis est, quamvis immutabilis et sibi ipsi semper identica maneat, 1° propter fidem, 2° quia mutationes quae in sua determinatione externa ac in suis formulis habentur, aliquid secundarii sunt, respectu unitatis essentiae suae necnon continuae suae evolutionis. Sensus dogmatis immutabilis, non est sensus litterae, hoc est forma illa specialis quam veritas suscepit in mente eorum qui formulas dogmaticas confecerunt; neque immutabilis est in diversis interpretationibus quae propter necessitatem successive factae sunt; sed est immutabilis, quia adest fundamentum (fond) quoddam commune, quod sermone humano per definitionem obiecto suo, atque omnibus saeculis sufficientem, exprimi nequit. Evolutio denique in formulis dogmaticis ex historia comprobatur. Nam symbolum Apostolorum insufficiens fuit contra Arium, sicut definitio Concilii Nicaeni insufficiens fuit ad relationes inter Spiritum Sanctum, Filium et Patrem determinandas. Pariter definitio Concilii Ephesini insufficiens

fuit ad relationem inter humanitatem et Divinitatem J. Christi existentem, determinandam ; sicut insufficientes imperfectae, et variabiles sunt formulae recentiores. Aliis verbis formulae Ecclesiae non habent veritatem absolutam, cum non definiant plene realitatem cujus obiectum repraesentant.

Iuxta igitur Loisy evolutio dogmatis est quidam continuus progressus, in veritatibus dogmaticis, prouti existunt in mente humana ; in ideis quibus concipiuntur, in formulis quibus exprimuntur ; in revelatione qua manifestantur, non vero in earum obiecto.

A quodam anonymo scriptore (1), ita evolutio dogmatis explicatur. *a*) Adest naturalis distinctio inter veritatem in se, et veritatem prouti est in nobis ; in se veritas est immutabilis, in nobis mutabilis. Ita homo dum revelationem divinam recipit (quae non est actio mechanica) recipit illam modo vitali, intellectuali, hoc est cogitat de realitate hac, eamque conceptibus suis mutabilibus omnino, reproducit et repraesentat sibi. Iudaei concipiunt divinitatem Jesu Christi, mediante idea Messiae Israelis ; Graeci eamdem divinitatem concipiunt mediante idea « Logos » ; Patres Concilii Nicaeni, mediante idea « Homo-ousia » concipiunt relationes inter Christum Deum et Deum Patrem existentes. Igitur veritas Dei manet in aeternum, sed conceptus et formulae quibus veritas exprimitur, continuo mutantur.

b) Veritates christianae non sunt veritates matematicae, sed veritates vitales, sunt vita quaedam ; si vita sunt, evolvuntur sicut a germine vitae, vita ipsa evolvitur. Neque ex hoc sequitur Ecclesiam non manere eamdem ; sicut enim homo quilibet, idem

(1) *Annales de phil. chrét.*, 1904, p. 607.

est ab initio ac post viginti annos, licet innumeris evolutionibus subiectus, ita Ecclesia eadem manet post viginti saecula. Theoria cardinalis Newman de « germine vivente » omnia conciliat dogmatis evolutionem, ac Ecclesiae immutabilitatem.

Cl. P. Lagrange (1) conatur aperire mentem suam circa dogmatis evolutionem, sed fatemur aperte, non sine dispendio claritatis quae ad solutionem quaestionis tanti momenti necessaria est. Afferimus principaliores assertiones P. Lagrange, freti spe, plene reddendi mentem eius.

a) Quando agitur de substantia catholici dogmatis, negamus firmiter posse dari progressum aliquem hoc in sensu, quod dogma mutetur, aut in hoc, quod aliter, quam Ecclesia intellexit, intelligatur.

b) Revelatio Novi Testamenti definitiva et absoluta est. Nolo tamen per hoc, progressum et quidem maxime realem (très réel), in Ecclesia catholica denegare.

c) Haec omnia conciliantur, si fiat distinctio inter valorem dogmatis alicuius, eiusque evolutionem philosophicam. Haec ultima, neque rejicienda, neque spernenda est. Sit ex. g. dogma de Jesu Christi Incarnatione. In Jesu Christo, unica est persona in duabus naturis. Definitio necessaria fuit quia cum a philosophis temporis illius definitio personae et naturae determinata fuisset, asserere in J. Christo duas esse personas idem est ac negare ipsum esse Filium Dei in forma Dei praeexistentem ; dum asserere Jesum Christum solam naturam divinam habere est negare Jesum Christum fuisse vere Filium David. Definitio tamen haec, quae absolute necessaria erat ab initio controversiae Arianismi, quaeque pars integralis

(1) *La Méthode historique*, etc. Première et deuxième Conférences.

dogmatis facta est, ante saeculum quintum non extabat. Per hoc armonia inter dogma et philosophiam obtinetur, atque dogma in forma sua primitiva, totum valorem suum religiosum, pro fidelibus retinet.

d) Unio humanitatis cum Deo in Jesu Christo, vocatur a nobis revelatio definitiva et immutabilis, complectens, simul cum caeteris dogmatibus quae ipsam sequuntur ac comitantur, integram religionem cum toto suo valore pro illis qui donum Dei acceptant. Dum revelatio incipit conctatum habere cum philosophia, sese evolvit; et dum Ecclesia huius armoniae terminos posuerit, nemini regredi licebit.

e) Progressus iste consistit in hoc, quod ad revelationem perfectius cognoscendam mediis ab aetate nostra subministratis utamur; et quia hodie historia mirabiles progressus fecit, ideo in Bibliae sacrae studio, methodus historica adhibenda est; eo praecise modo, quo tempore medii aevi in Theologiae studio, fidei principia ac philosophiae adhibita fuere.

f) Inter Vetus et Novum Testamentum, distinctio fundamentalis adest. In N. Testamento, dogma ad statum definitivum pervenit, potest tamen evolvi, licet nulla nova revelatio, doctrinae de Redemptore, post Apostolorum tempus, aliquid essentiale addiderit. Depositum dogmatis completum, auctoritati doctrinali traditum fuit, quia sine hierarchia dogma aliquod, nequit intactum permanere. Contra in Veteri Testamento, dogma evolutionem suam quoad essentialia elementa habuit.

P. Pesch (1) ita intelligit et explicat dogmatis evolutionem. *a*) Per definitiones dogmaticas verus progressus fit in intellectu rerum revelatarum. Neque

(1) *Propaed.* sect. V, n. 526-530.

enim statim ab initio omnes veritates dogmaticae in explicito intellectu magisterii ecclesiastici erant.

b) Hic progressus non est ita concipiendus, quasi ecclesia aliquid novi discat, quod antea ignoraverit, sed ea, quae dogmatice definiuntur, antea implicite in doctrina ecclesiastica continebantur. *c*) Haec evolutio male a quibusdam (Günther, Huber) ita descripta est, quasi ab initio vix quidquam in explicita fide ecclesiae fuisset, praeter fundamentale dogma incarnationis et redemptionis, omnia vero alia capita doctrinae mediis humanis paulatim exculta essent. Historia dogmatum inquit Tixeront (1), supponit dogmata ipsa per vicissitudines nonnullas transivisse, ac evolutionibus vel transformationibus quibusdam subiecta fuisse. Principalis quaestio de dogmatis evolutione consistit in determinando, characteres, consectaria (résultats), limites, causas, leges, evolutionis hujus ; aliis verbis in definiendo, an et quomodo per evolutionem hanc, dogmatum substantia offendatur. Quaestio ita proposita duplici via resolvi potest, videlicet, methodo theoretica a priori, respiciendo ad id quod Ecclesia circa dogmatis substantialem immutabilitatem docet, vel a posteriori idest methodo historica, colligendo consectaria (résultats) quae per factorum studium, manifestantur. Methodus haec ultima, unice ab historico sequenda est. Rationalistae et Protestantes affirmant, methodum a posteriori ad sequentem conclusionem ducere, quod nempe primitivae veritates Revelationis christianae, non solummodo scientifice, per posteriora dogmata expositae ac evolutae sunt, sed ulterius substantiali mutationi, et modificationi fuerunt subiectae. Aliae sunt conclusiones ad quas Newman adhuc anglicanus, per histo-

(1) *Histoire des dogmes*, I. Introd., nota, p. 7.

riae investigationem pervenit, quaeque in suo « *An essay on the development of christian doctrine* » legi possunt. Catholici, has conclusiones universaliter inspectas receperunt. Verum notandum est theoriam, de dogmatis evolutione, quamvis multi circa ipsam adlaboraverint, non esse adhuc totaliter et complete explicatam. Quando agitur de dogmatis evolutione, communiter formulae indeteminatae, et nonnisi exempla, sicut exemplum de puero qui fit homo, vel de semine quod fit arbor, adhibentur, quae omnia insufficientia sunt. Quaestio, cui adaequata responsio danda est, est huiusmodi : In quibus casibus, idea vel doctrina quaedam, doctrinae vel ideae alicui comparata non est nisi istius ultimae simplex evolutio, et in quibus casibus non est nisi, substantialis transformatio eiusdem ?

Recentiores catholici, evolutionem quam in dogmatibus Ecclesiae affirmant, ita videntur explicare. Veritas fuit Ecclesiae Dei tradita sicut terrae semina traduntur. Granum sub terra crescit, fructificat, eoque magis crescit et fructificat, quo melioris qualitatis est. Propter hoc, Ecclesiae dogmata maxime foecunda sunt, in propria immutabilitate sese evolvunt, atque sibiipsis identica manent. Iam a saeculo quinto, lex evolutionis dogmatum statuta fuit a V. Lirinensi, dum quaerit : « Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur Religionis ? Habeatur plane, et maximus... Sed ită tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. » (1)

Omnibus temporibus, redohetocrt poiclsci ogressum doctrinae christianae ita intellexerunt. Veritas dum evolvitur manet obiective eadem ; aliquando creditur implicite, tanquam contenta in doctrina, quae explicite

(1) *Commonit.* I. 23. Cf. Prunier : *Evolution et Immutabilité de la doctrine religieuse dans l'Eglise,* p. 18–20.

admittitur, vel tanquam contenta in aliquo usque ad Apostolos ascendente. Dogma ex. g. Conceptionis immaculatae B. Virginis Mariae, a Pio IX definitum, a fidelibus saeculi v credebatur, dum isti perfectam sanctitatem B. Virginis Mariae asserebant. Saeculorum decursu in revelationis thesauro, discooperiuntur veritates, quae modo inconscio possidebantur. Necessitas, ponendi armoniam inter doctrinas, ad has veritates nos ducit. In evolutione, habetur etiam augmentum claritatis et certitudinis, quae confusioni, necnon incertitudini lente succedunt. Claritas, ex idearum evolutione oritur. Ut evolutio veritatis revelatae perfecte intelligatur, non est sejungendum a conscientia catholica, magisterium infallibile, quod a Christo ad hanc conscientiam dirigendam institutum fuit. Neque putandum est, ab uno et unico germine universam religionem ortam esse ; ab initio siquidem Christianismi, plura dogmata revelata erant. Dogmata haec, lente et gradatim crescunt, fructificant, evolvuntur, absque tamen sui transformatione. Loco unius evolutionis solummodo, evolutiones multae partiales habentur (1).

Isti sunt, diversi conceptus evolutionis dogmatis penes modernos existentes. In hisce tradendis et explicandis, saepe, sive propter rei difficultatem, sive propter periculum in damnationem Ecclesiae incidendi, scriptoribus claritas deficit.

Art. 2.

AN EVOLUTIO ALIQUA IN ECCLESIAE DOGMATIBUS SIT ADMITENDA.

22. Manifestum est ex dictis in praecedenti articulo, duplicem dogmatis evolutionem a scriptoribus distingui.

(1) Cf. De la Barre. *La vie du dogme catholique*, 1re part. c. II, p. 172-175. Labeyrie, *l. c.*, Ve partie, chapitre VII. 2.

Primo, est evolutio in qua dogmatis substantia mutatur, et per quam saeculorum decursu nova dogmata, in Ecclesia habentur, quamvis de illis nihil ab initio Christianismi praeexistat. Secundo est evolutio, in qua dogmatis substantia immutata manet, solummodo dogma aliquod, quod implicite credebatur, explicitius creditur, clarius cognoscitur, verbis clarioribus atque pressiori sermone ab Ecclesia enuntiatur et definitur. Fere omnes recentiores, unanimes sunt, in progressu aliquo dogmatis admittendo, dummodo recte intelligatur. Controversia adest circa naturam illius progressus, an nempe sit evolutio prima, in qua dogmata substantialiter mutantur, an secunda, in qua, dogmatis substantia eadem et immutata manet. Nonnulli ex modernis militant pro prima sententia, quibus major pars catholicorum contradicit. Placet nobis argumenta principaliora utriusque sententiae afferre, et quaenam sententia reiicienda sit, indicare.

23. Argumenta sententiae asserentis evolutionem dogmatis, cum eiusdem dogmatis mutatione.

a) Ex facto. Ita dogma de gratia divina, in Ecclesia Africana natum et evolutum est. In hac siquidem Ecclesia *a*) idea praevalens est sanctitatis idea. *b*) Cultus Spiritus et Sacramentorum quae Spiritum dant, habetur. *c*) Rebaptizantium error, oritur, ac haereticorum baptisma tanquam invalidum recognoscitur, cum haereticus, nequeat Spiritum S. dare, cum Spiritum S. non habeat. *d*) Ordinationes factae ab iis, qui Diocletiani persecutionis tempore, romanis thesauros Ecclesiae tradiderant, tanquam nullae habentur quia episcopi proditores nequeunt gratiam, quam amiserunt, conferre. Propter haec omnia dogma de gratia divina in Ecclesia Carthaginensi ortum, suam evolutionem accepit, ope prae-

sertim S. Augustini. Dum Ecclesia Alexandrina ad evolutionem de hypostasibus divinis multum contulit, Ecclesia Africana nonnisi de sanctitate capitum, membrorumque suorum per gratiam divinam habenda, curam habuit (1).

Dogma, de Ecclesiae constitutione hierarchica, in Ecclesia romana ortum et evolutum est. Aliud fuit genium Romanorum, aliud genium Orientalium ; primum positivum et practicum, secundum speculativum et abstractum. Pro romanis et generice pro latinis, religio non est nisi quaedam obligatio societatis. Ex illo genio regiminis, Romanis veluti innato, evolutio dogmatis de constitutione Ecclesiae facta est. Ecclesia lente et gradatim in societatem juridicam evoluta fuit, imo in creationem quamdam politicam imperio romano succedentem, Romae capiti orbis, successit Roma caput universae Christianitatis, Romulo et Remo, Petrus et Paulus successerunt ; Consulibus et Proconsulibus episcopi ac archiepiscopi, Pontifici maximo paganorum, Pontifex maximus christianorum (2).

Pariter ex doctrina de baptismo, diversae evolutiones factae sunt, ex una parte in doctrinam de Confirmatione, ex alia in doctrinam de Pœnitentia, de Purgatorio, necnon de Indulgentiis. Ex Eucharistia novae evolutiones habitae sunt, videlicet in doctrinam de praesentia reali Jesu Christi, de hostiae adoratione,

(1) Cf. Loisy. *L'Evangile et l'Eglise.* Le dogme chrétien.

(2) Cf. Harnack, *Das Wesen d. Christ. Vierzehnte Vorlesung.* Haec eadem evolutio docetur a C. Negri (*L'Impératore G. A.* La Discordia del Christiane simo : « Nella morale (la Chiesa) era discesa dalle pure altezze del Vangelo e del Christianesimo primitivo e si era avvicinata allo stoicismo ; nella filosofia avea costrutto un grande edificio teologico, adoperandovi i materiali del Platonismo ; nel culto, avea plasmato le sue cerimonie su quelle dei Misteri. »

de corporum resurrectione, necnon de reliquiarum cultu (1).

b) Ex ratione. In dogmaticarum veritatum revelatione, homo, modo proportionato naturae suae eas recipit, ita ut actione propria intellectuali veritates divinas concipiat, conceptibusque necnon verbis humanis eas exprimat. Sed conceptus humani continuae mutationi et evolutioni subiiciuntur; verba pariter humana temporis progressu mutantur et evolvuntur. Igitur et ipsae veritates dogmaticae, licet prouti sunt veritates Dei maneant in aeternum, prouti tamen sunt conceptibus et verbis humanis expressae continuae evolutioni subiectae sunt et progressu temporis mutantur.

Rursus, veritates dogmaticae non sunt uti veritates matheseos quae immobiles omnino sunt, sed sunt veritates vivae, imo maxime viventes. Proprium autem rei vivae est, ut foecunda sit, ut continuae evolutioni subiiciatur. Igitur et veritates dogmaticae foecundae esse debent, continuae evolutioni subiiciendae sunt.

Si vero quaeratur a fautoribus huius sententiae quomodo Ecclesia maneat eadem, quomodo definitio Concilii Vaticani, de qua postea erit sermo, salvetur, quomodo idea de dogmatis immutabilitate intacta maneat, respondent ad primum : Sicut quilibet homo, idem est initio vitae suae, et post viginti annos eiusdem vitae, quamvis continuae evolutioni subiiciatur, ita et ipsa Ecclesia eadem est et manet post viginti saecula, quamvis evolutionem suam habuerit. Theoria de germine vivente, aliqualem explicationem praebere potest. Ad secundum vero respondent, oportere determinare sensum dogmatis, et id quod est immutabile, ut mens Vaticani Concilii explicetur. Concilium certe, noluit

(1). Newman. *Le développement du dogme chrétien*, par H. Bremond p. 150.

posteriora Concilia damnare, dum antiquarum veritatum novas definitiones dederunt ; affirmavit solum dogma esse immutabile in Ecclesia, in quantum immutabilitas haec, cum dogmatis veritate est ligata. Relate vero ad ideam de dogmatis immutabilitate, idea haec non est vere catholica. Penes siquidem schismaticos invenitur idea immutabilitatis respectu septem priorum Conciliorum, quibus nefas est aliquid addere ; penes protestantes etiam invenitur idea immutabilitatis Evangelii cui nihil progressu temporis addi potest, ita ut veritas evangelica absoluta sit (1).

24. Argumenta sententiae asserentis dogmatis evolutionem sine ulla substantiali dogmatis mutatione.

a) Ex facto. Dogma ex. g. de conceptione immaculata B. V. Mariae semper a fidelibus in Ecclesia implicite creditum fuit. Progressu temporis, quidam quoque progressus, quaedam evolutio circa dogma illud facta sunt : manente eiusdem substantia, dogma gradatim majorem evidentiam, lucem, distinctionem accepit, quoadusque Pius IX explicite credendum esse solemniter definivit. Non fuit nova veritas sed antiqua, novo modo credita est. Pariter dogma de Romani Pontificis infallibilitate implicite creditum fuit, quamvis a nonnullis negatum. Temporis progressu, dogma hoc incipit sese evolvere, quoadusque Concilium Vaticanum, clare, solemniter illud proclamat. Multae aliae veritates dogmaticae, eamdem evolutionem et progressum habuerunt. Eadem est veritas, quae tamen propter evolutionem, clarior, distinctior, evidentior progressu temporis fit.

b) Ex auctoritate. Tertullianus (*De Virgin. velan-*

(1) Cf. *Annales de Philos. chrét.*, mars 1904, p. 606-620.

dis, 1) : « Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis et irreformabilis... Hac lege fidei manente, caetera jam disciplinae et conversationis admittunt novitatem correctionis... Quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur et ordinaretur et ad perfectum perduceretur disciplina ab illo vicario domini, Spiritu sancto... Quae est ergo paracleti administratio, nisi haec, quod disciplina dirigitur, quod Scripturae revelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur ?... Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoveri. Granum est primo, et de grano frutex oritur, et de frutice arbuscula enititur ; deinde rami et frondes invalescunt, et totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor et flos de germine solvitur, et de flore fructus aperitur... Sic et justitia (nam idem deus justitiae et creaturae) primo fuit in rudimentis, natura deum metuens ; dehinc per legem et prophetas promovit in infantiam ; dehinc per evangelium efferbuit in juventutem ; nunc per paracletum componitur in maturitatem. »

Vincentius Lirinensis (*Comm.*, I, 22, 23) : « O Doctor... pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam venustatem. Intelligatur, te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur... Eadem tamen quae didicisti doce, ut cum dicas nove, non dicas nova... Sed forsitan dicet aliquis : Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur Religionis ? Habebitur plane, et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur ? Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio... Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac

saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum : quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant permanent... Christianae Religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut omnis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur aetate, incorruptum tamen illibatumque permaneat... Fas est enim ut prisca illa caelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur ; sed nefas est ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant, licet, evidentiam, lucem, distinctionem ; sed retineant necesse est, plenitudinem, integritatem, proprietatem... Quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est (Ecclesia) nisi ut quod antea simpliciter credebatur hoc idem postea diligentius crederetur, quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur, quod antea securius colebatur hoc idem postea excoleretur ? »

M. Canus (*De locis theol.*, l. III, c. v ; l. VII, c. IV) « Dogmata fidei, sive Christus ipse per se apostolis revelarit, seu Spiritus sanctus post Christi ascensionem in caelum, mutari non possunt... In illis quae antiquorum sunt ingenio ac diligentia elaborata, nonnihil nos Christiano populo, si volumus, praestare et quidem utilissime possumus. Possumus enim vetustis novitatem dare, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus naturam suam, et naturae suae omnia. »

c) Ex ratione. Evolutione hac secunda admissa, salvatur : *a*. immutabilitas dogmatis, quia substantia eius non tangitur, sed solummodo tanguntur accessoria, et

dogma idem est modo, ac ab initio Ecclesiae. *b*. Leges de omnium rerum progressu in melius observantur, quia dogma accipit progressu temporis, lucem, evidentiam, distinctionem, mentibus humanis perfectius aptatur. *c*. Lex etiam de cuiusque rei viventis evolutione salvatur, sicut enim res viva semper eadem manens, accidentali modo continuae evolutioni subiicitur, ita et ipsum dogma semper idem manens, accidentaliter solummodo evolvitur. *d*. Non offenditur lex de mutatione vocum et formularum quibus veritas progressu temporis exprimitur. Nam voces antiquae, quibus dogmata exprimebantur, possunt in alias voces, quae melius eadam dogmata exprimunt mutari, veritate dogmatum immutata immanente (1).

25. Primae sententiae critica.

a) Nequit conciliari cum Concilii Vaticani decreto (Sess. III, *De fide et ratione*, c. III) : « S. q. d. fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia a. s. »

b) Non videtur quomodo, posita substantiali dogmatis mutatione salventur et intactae maneant, eiusdem dogmatis immutabilitas, Ecclesiae identitas, Ecclesiae infallibilitas.

c) Prouti notat P. Pesch (2) definitio dogmatica est immutabilis explicatio veritatis traditae, cum Ecclesia res definitas fide divina credendas proponat et contrariam sententiam anathemate afficiat. Hoc autem fieri non posset, si progressu scientiae illae definitiones mutandae et aliæ eorum loco substituendae essent.

(1) Cf. KRAUS, *Lehrbuch d. Kirchengeschichte*, § 2 : « Es gibt... scribit ipse, eine Kirchliche Dogmenentwickelung. »

(2) *L. c.*, n. 529.

Nam quod divina fide credendum est, debet obiective verum esse, et quod obiective verum est, pro omni statu scientiae verum est. Item quod concilium vel summus pontifex definit, non est aliquod philosophicum placitum huius vel illius aetatis, sed est doctrina a Deo revelata et ab apostolis tradita. Nullatenus igitur infallibilitas definitionis pendet a systemate philosophico plus minusve bono, sed obiective a veritate revelata et subiective ab assistentia Spiritus Sancti.

26. De S. Thomae mente.

Angelicus non videtur reiicere dogmatis evolutionem in secundo sensu acceptam, manente videlicet immutata dogmatis essentia, sed potius eam docere. Asserit siquidem :

a) Dogmata quaedam implicite contineri in aliis. « Omnes articuli implicite continentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet ut credatur Deum esse, et providentiam habere circa hominum salutem, secundum illud ad Hebr. xi, 6 : Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit. In esse enim divino includuntur omnia quae credimus in Deo aeternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit : in fide autem providentiae includuntur omnia quae temporaliter a Deo dispensatur ad hominum salutem, quae sunt via in beatitudinem ; et per hunc etiam modum aliorum subsistentium articulorum quidam in aliis continentur ; sicut in fide redemptionis humanae implicite continentur et incarnatio Christi, et eius passio, et omnia huiusmodi » (1).

b) Crevisse dogmata quantum ad eorum explicationem. « Dicendum est, quod quantum ad substan-

(1) II^{a} II^{ae}, q. 1, a. 7.

tiam articulorum fidei, non est factum eorum augmentum per temporum successionem : quia quaecumque posteriores crediderunt, continebantur in fide praecedentium patrum, licet implicite. Sed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum : quia quaedam explicite cognita sunt a posterioribus, quae a prioribus non cognoscebantur explicite. Unde Dominus Moysi dicit, Exod., VI, 2 et 3 : Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob et nomen meum Adonai non indicavi eis ; et David dicit, psal. CXVIII, 100 : Super senes intellexi ; et Apostolus dicit ad Ephes., III, 5 : Aliis generationibus non est agnitum, mysterium Christi, sicut nunc revelatum est sanctis apostolis eius et prophetis. » Art. 9 eiusdem quaestionis ad 2^um^ ait : « Plura symbola... in nullo alio differunt, nisi quod in uno plenius explicantur quae in alio continentur implicite, secundum quod exigebat haereticorum instantia. »

c) Respectu dogmatum dari in humana cognitione progressum. « Profectus cognitionis dupliciter contingit : uno modo ex parte docentis, qui in cognitione proficit, sive unus, sive plures, per temporum successionem, et ista est ratio augmenti in scientiis per rationem humanitus inventis ; alio modo ex parte addiscentis, sicut magister, qui novit totam artem, non statim a principio tradit eam discipulo, quia capere non posset, sed paulatim, condescendens eius capacitati ; et hac ratione profecerunt homines in cognitione fidei per temporum successionem. Unde Apostolus ad Galat., III, comparat statum Veteris Testamenti pueritiae... Oportuit quod ab imperfectis ad perfectum procederet cognitio fidei in hominibus ; et licet in hominibus quidam se habuerint per modum causae agentis, quia fuerunt fidei doctores ; tamen manifestatio spiritus datur talibus ad utilitatem communem, ut dicitur 1, ad Cor. XII ; et

ideo tantum dabatur patribus, qui erant institutores fidei, de cognitione fidei, quantum oportebat pro tempore illo populo tradi, vel nude, vel in figura. (1) »

(1) IIª IIæ, q. 1, a. 7, ad 2^m et 3^m.

DE ARCANI DISCIPLINA

27. Quanta sit utilitas pro theologo cognoscendi naturam, usum, valorem disciplinæ arcani ex hisce verbis (quæ tamen non plene approbamus) quorumdam scriptorum Protestantium satis apparet. Primus inter istos est D. Pfaff, qui a. 1756 scribere potuit « Qui disciplinam arcani ignoraverit, is veteris Ecclesiae institutionem penitus ignoret necessarium est. » Secundus est D. Bingham qui a. 1727 vocavit disciplinam arcani « Novum et admirabile instrumentum ». De natura igitur ac existentia disciplinae arcani, bonum erit quaedam dicere (1).

28. Disciplinae arcani, notio, finis et definitio.

Valde diversa, est scriptorum mens circa notionem, finem, et definitionem disciplinae arcani.

a) Circa disciplinae arcani notionem. Pro quibusdam, disciplina arcani est lex quaedam tacendi circa Ecclesiae sacramenta, praesertim vero circa Eucharistiae sacramentum et sacrificium. Iuxta alios est lex tacendi circa veritates supremas et dogmaticas Ecclesiae, ab Ecclesia imposita christianis in sui prima existentia. Pro aliis quibusdam arcani disciplina, non est aliud nisi imitatio quaedam silentii, quod a paganis circa propria myste-

(1) Ut a nimia citatione auctorum et librorum caveamus lectores remittimus ad huiusmodi fontes principales. Batiffol, *Etudes d'histoire* ; — Vacant, *Dict. de theol.*, v° *Arcane*, p. 1738 ; — *Kirchenlexikon*, v° *Arcandisciplin*, p. 1234 ; — H. Gravel, *Die Arcandisciplin*, 1902 ; — Funk, *Quartalschrift*, 1903, p. 61 ; — *Revue biblique*, 1903, p. 315 et 146.

ria servabatur. Denique nonnulli sunt, qui in arcani disciplina, nonnisi disciplinam vel methodum quamdam pedagogicam recognoscunt, ortam cum catechumenis, fine saeculi secundi, ignotam theologis medii ævi, ac a theologis saeculi XVII et XVIII, duce Melchiore Cano male intellectam, quaeque, characterem solummodo pedagogicum, catecheticum et liturgicum habet.

b) Circa finem disciplinae arcani. Nam juxta Protestantes, finis propter quem disciplina arcani a controversistis saeculi XVII[1] introducta est, fuit ut facilius respondere possent difficultatibus sibi oppositis de silentio documentorum circa plurima Ecclesiae romanae dogmata, et prouti unus ex ipsis scribit : « Hoc novo et admirabili instrumento, quod disciplinam arcani vocitant.. omnis dissimilitudo et repugnantia, quae inter antiquas Ecclesiae doctrinas consuetudinesque, et novellas praesentis Ecclesiae Romanae corruptiones apparet, illico evanescet et in ventos abibit. » Asserunt quidam finem « disciplinae arcani » fuisse, tollere paganis occasionem omnem, irridendi mysteria christiana si ad eorum notitiam pervenirent ; vel imitari modum agendi Iudaeorum, necnon aliquorum Alexandrinorum, qui cum initiatis et profanis circa mysteria silentium tenebant, vel imitari modum agendi paganorum circa propria mysteria.

Iuxta alios, disciplina arcani introducta fuit, vel ut cultus christianus penes multitudines maxima reverentia circumdaretur, ac mysterii nota tribueretur ipsi ; vel ut catechumenorum, qui « novitioli » erant, animus ac dispositiones formarentur ad mysteriorum divinorum notitiam gradatim percipiendam, vel ut « mentes catechumenorum ad reverentiam et vehemens desiderium sacramentorum » excitarentur.

c) Circa disciplinae arcani definitionem. Pro Ioanne

Daillé, a quo vocabulum « disciplina arcani » originem ducit, arcanum erat methodus quaedam, qua Patres usi sunt « circa quaedam capita, quae hodie in controversiam vocantur, circa scilicet sacramenta Ecclesiae » et qua mediante : « Etiam in tractationibus suis, maxime in homiliis, quas ad populum habituri erant, nunquam nisi obscure de iis agebant. » Arcani disciplina igitur, juxta Daillé, est res mere pedagogica, inserviens nempe « ad reverentiam et vehemens desiderium sacramentorum » excitanda in catechumenorum mentibus, et nonnisi saeculis quarto et quinto adhibetur. Iuxta alios, disciplina arcani est « expressio quaedam qua designatur lex primis Ecclesiae saeculis obligans fideles et clericos, ad nunquam publice loquendum coram catechumenis, et infidelibus de rebus fidei necnon de rebus cultus ». Schelstrate vocat arcanum « disciplinam quamdam a Christo institutam atque ab Apostolis adhibitam, cuius obiectum erant, dogma de Trinitate, Eucharistia, Missa necnon Sacramenta, et propter quam factum est, quod nos tam pauca cognoscamus de Sacramentorum numero, de Sanctorum cultu, de transsubstantiatione ac de caeteris veritatibus dogmaticis ». Pro quibusdam aliis disciplina arcani est lex quaedam a Christo originem ducens, qua nedum paganis et catechumenis sed etiam ipsis christianis jam perfectis, nisi episcopi essent, vel sacerdotes judicio et auctoritate graves, mysteria christiana non revelabantur. Iuxta Teutzel arcanum est « disciplina quædam fine saeculi secundi introducta ad mysteriorum paganorum imitationem ». Alii denique definiunt arcanum : « Est disciplina quaedam qua catechumenorum dispositiones et animus formabantur ad mysteriorum divinorum notitiam gradatim suscipiendam, ita ut institutio catechumenatus disciplinae arcani originem

dederit, et nonnisi methodus quaedam pedagogica fuerit. »

29. Sententiae diversae circa « disciplinae arcani » existentiam. — Relinquimus protestantium sententias, quibus asseritur, vel disciplinam arcani esse « novum instrumentum » ad Ecclesiae romanae dogmata defendenda, vel esse imitationem quamdam religionum paganismi. Afferimus catholicorum sententias, quibus asseritur utique « disciplinae arcani » existentia, sed diversum tempus existentiae huic tribuitur, vel ipsi diversus scopus et diversa extensio determinatur. Sententiae catholicorum possunt ad tres reduci. Videlicet est sententia :

a) Eorum qui affirmant « disciplinam arcani » relate ad universam theologiam de sacramentis. Ita Estius qui, assertis elementis essentialibus Sacramentorum N. L. quae materia et forma sunt, quaerens quare elementa haec tam incomplete in traditione indicentur ait : « Unde et illud apud Augustinum frequens de Eucharistia : Norunt fideles quo verbo significatum voluit secretum esse, ac ne catechumenis quidem propalandum mysterium de quo loquebatur (1). » M. Canus videtur pariter militare pro hac sententia : « Quod si Apostoli, scribit ille (2), quibus formis sacramenta essent conficienda, quibusve ritibus administranda, aliaque id genus religionis secreta, passim vulgo tradidissent, quid esset aliud, quam adversus Christi legem sanctum dare canibus, et inter porcos spargere margaritas? Imo vero quid esset aliud, quam omnia mysteria Christianae religionis abolere? Nec enim mysterium est, quod ad populares aures effertur. » P. Pesch etiam, hæc

(1) IV *Sent.*, d. I, § 19.
(2) *De l. theol.*, l. III, c. III, 4, fundam.

scribit (1) : « Disciplina arcani magnum impedimentum erat, quominus de tota re sacramentaria integros tractatus haberent S S. Patres. Postulabat enim haec disciplina, ut summa cautio adhiberetur, ne Sacramentorum doctrina infidelibus proderetur... Quare apud S S. Patres, cum de Sacramentis loquuntur, saepissime occurrunt formulae illae : « Norunt initiati. » Non audeo dicere propter « non initiatos », quae quidem formulae praecipue adhibentur de Eucharistia, non tamen de hac sola. »

b) Eorum qui disciplinam arcani, ad omnia christianorum mysteria extendunt ita ut lex plane universalis facta fuerit. Ita inter alios P. Hurter. « Cum disciplina arcani, inquit ille, in re praesertim sacramentaria saepe occurrat mentio, quaedam de illa breviter annotasse haud pigebit. In primis eam viguisse nemo inficiabitur, qui vel aliter patrum inspexerit opera... Quod si 2. quaeras, quam late patuerit haec disciplina, respondemus, eam fuisse plane universalem. Ex hac vero 3. universalitate merito conjicitur, eam esse traditionis apostolicae... Summo autem 4. rigore haec disciplina servabatur... Si vero 5. quaeritur, de quibus potissimum arcani disciplina servaretur, respondemus, illam in primis viguisse circa sacramenta omnia, praesertim circa eucharistiam : sed etiam circa sublimiores veritates revelatas universim... Si 6. inquiras in huius disciplinae fundamenta, patres fere unanimes illam, si non praeceptam, insinuatam saltem vident verbis Christi Matth., VII, 6... Caeterum 7. haec disciplina in Oriente ad finem usque saeculi V, in Occi-

(1) Tom. VI *De Sac.*, n. 91. Bellarminus (*De Sac. Euch.*, l. II., c. XXX) idipsum tenet : « Quarto non loquebantur (Patres) de eo (Euch. sac.) coram ethnicis et catechumenis, nisi tecte, ut illis verbis : Norunt fideles. »

dente ad medium circa saec, VI, videtur durasse. » (1)

c) D. Batiffol et aliorum multorum, iuxta quos, usque ad saeculum III^um^, in Ecclesia nulla « disciplina arcani » extitit. Circa finem saeculi secundi, catechumenatus surgit, et catechumeni sunt « novitioli », quorum dispositiones probandae sunt, animus formandus, et methodus quaedam pedagogica exurgit, qua ipsi catechumeni « incipiunt divinis sermonibus aures rigare ». Haec pedagogica methodus, disciplina arcani est, quae diversitatem quamdam tum in publica praedicatione, tum in cultu publico importat, quaeque cum catechumenatu intime connexa est, et nonnisi characterem catecheticum et liturgicum praebet. Circa finem saeculi V^i^, cessante catechumenatu, cessat quoque arcani disciplina (2).

30. Argumenta primae sententiae.

1. Ex ratione. « Plato scribens Dionysio de quibusdam sacris mysteriis monet, ut epistolam e vestigio concerpat, ne in manus indigni vulgi perveniat : Tantae fuit olim vel etnnicis curae, disciplinarum mysteria et a contemptu, et a prophano abusu defendere. Id vere maxime, si ad res sacras mysterium pertineret... Quae causa Apostolis fuit, ut secreto quaedam ex animo in animum solo intercedente verbo transfunderent. Consentaneum enim erat, mysteria quaedam, praesertim sacra clam populo rudi habere, perfectis et majoribus seorsim communicanda... Quod si Apostoli, quibus formis sacramenta essent conficienda, quibus-

(1) *Theol. Dog. Comp.*, t. III. Sect. 3, de sanct. euch. myst., n. 344. nota 2.

(2) *L. c.* S. Thomas (III, q. LXXVIII, a. 3, ad 9^m^) habet haec verba : « Evangelistae non intendebant tradere formas sacramentorum, quas in primitiva Ecclesia oportebat esse occultas. »

ve ritibus administranda, aliaque id genus religionis secreta, passim vulgo tradidissent, quid esset aliud, quam adversus Christi legem sanctum dare canibus, et inter porcos spargere margaritas ? Imo vero quid esset aliud, quam omnia mysteria Christianae religionis abolere ? Nec enim mysterium est, quod ad populares aures effertur. Haec itaque prima ratio est, cur Apostoli quaedam sine scripto traderent : Nempe ne aut ab ethnicis sacra nostra irriderentur, aut vulgo etiam fidelium venirent in contemptum. » (M. Canus, *l. c.*)

2. Ex P. P. testimoniis. Nam de Eucharistia saepe habetur expressio « Norunt initiati ». Theodoretus (*In Num.*, interrog. 16; M. LXXX, 367) ait : « Obscure de mysteriis divinis loquimur propter non initiatos; iis vero semotis perspicue initiatos docemus. » Io. Chrysostomus de Baptismo ait (*In I Cor.*, hom. XL, n. 1; M. LXI, 348) : « Volo quidem aperte hoc dicere, verum non audeo propter non initiatos. » De Ordine vero ait (*In. II Cor.*, hom. XVIII, n. 3; M, LXI, 527) : « Acclamant fideles, quae norunt initiati; neque enim fas est coram non initiatis omnia detegere. » Innocentius I interrogatus de Confirmatione (Epist. 25, n. 6; M., XX, 555) litteris respondere non vult : « Ne magis prodere videar, inquit ipse, quam ad consultationem respondere. » Denique S. Cyrillus Hier. (*Post Procatechesin.*; M., XXXIII, 366) de quibusdam Sacramentis a se per Catecheses explicatis ait : « Catecheses has illuminatorum iis quidem, qui accedunt ad Baptisma, et fidelibus, qui jam suscipere Lavacrum, legendas exhibere potes; catechumenis vero et aliis quibuslibet, qui Christiani non sunt, prorsus ne dederis. Et si harum exemplar transcripseris, per Dominum rogo, hoc monitum praefigas. » Ex hac igitur disciplina arcani, concludit P. Pesch (*l. c.*) intelligitur cur Patres

de Sacramentis satis parce loquantur et, ubi loquuntur, non raro verbis obscurioribus utantur; cur integros tractatus de Sacramentis non ediderint, sed res singulas, in quantum necessarium erat, explanaverint; cur denique catechumenis ea sola exposuerint, quae ad susceptionem Sacramentorum requirebantur.

31. Argumenta secundae sententiae.

Disciplinam arcani viguisse *a)* in re sacramentaria testantur (Patres) quoties aliquo silentio praetereunt vel ad aliqua tantum respiciunt et alludunt, vel eadem obscure tantum attingunt, adhibitis illis verbis, norunt initiati, quae fatente ipso Casaubono saltem quinquagies apud S. Ioan. Chrysostomum, nec multo rarius apud S. Augustinum occurrunt. Agens de ipso baptismo, haec advertit Chrysostomus : « Volo quidem aperte hoc dicere, verum non audeo propter non initiatos. Hi enim expositionem nobis reddunt difficiliorem, ut qui nos cogunt vel non aperte dicere, vel eis arcana enunciare. Sed tamen quantum potero, dicam adumbrate, etc. » (*In. I Cor.*, hom. XL, n. 1). Ex Augustino vero luculentum testimonium habes tract. XI in Ioan. n. 3. (opusc. VIII, 184, annot.) *b)* Disciplinam arcani, fuisse plane universalem apparet quia mentionem illius aperte faciunt Augustinus, Athanasius, Cyrillus Hieros., Basilius, Ioannes Chrysostomus, Ambrosius, Gaudentius, Iulius I et Innocentius I etc. *c)* Eam esse traditionis apostolicae, ex hac universalitate merito conjicitur, nam illius jam meminerunt Origenes, l. I, adv. Celsum, n. 7, et Tertullianus, *Praescr.*, c. XLI; *Apolog.* c. VII n. 33, 34; *Ad uxorem*, l. II, c. v. Et revera Basilius *De S. Spir.* c. v, illam apostolis videtur adscribere. Exemplo enim desumpto ex lege mosaica, qua solus summus sacerdos semel per annum permitteba-

tur ingredi Sancta Sanctorum, ne scil. res usu trita contemptui exponeretur, subdit : « Ad eumdem profecto modum, et qui in primordiis Ecclesiae certos ritus prescripserunt apostoli et patres, in occulto silentioque mysteriis suam servare dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur. » *d*) Disciplinam arcani, summo rigore servatam fuisse, colligitur tum ex Tertulliano, *Apol.*, c. VII, n. 33. sq. ; nunquam enim Ecclesiae persecutoribus adhibita licet omni diligentia, christianorum innotuerunt mysteria ; tum ex eo, quod romani pontifices se hac lege obstrictos censuerint, ut testis est Innocentius I, qui noluit confirmationis formam literis consignare, ne magis prodere videretur, quam ad consultationem respondere..., tum ex horrore, quem concepit Iulius I, cum audisset, in causa Athanasii interrogationem habitam fuisse ab arianis de mysteriis eucharisticis praesentibus catechumenis, judaeis et ethnicis, tum demum ex interdicto initiatis imposito, ne institutionem de mysteriis auditam aliis nondum initiatis traderent... Imo tanto rigore haec mysteria sacrosancta fideles celabant, ut vellent potius mori quam eadem prodere.

e) « Disciplinam arcani in primis viguisse circa sacramenta omnia, praesertim circa eucharistiam ; sed etiam circa sublimiores veritates revelatas universim, nam ita habet Cyrillus cat. 6, n. 29 ; Haec mysteria, quae nunc patefacit Ecclesia ei, qui ex catechumenis excedit moris non est, gentilibus exponere. Non enim gentili cuiquam de Patre et Filio et Spiritu S. arcana mysteria declaramus ; neque palam apud catechumenos de mysteriis verba facimus, sed multa saepe loquimur occulte, ut fideles qui rem tenent, intelligant, et qui non tenent, non laedantur. » *f*) Disciplinae arcani fundamenta juxta Patres sunt verba S. Matthaei VII, 6 :

« Nolite dare sanctum canibus; neque mittatis margaritas vestras ante porcos; ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos. » Provocant etiam ad ipsorum gentilium praxim, penes quos « mysteriis silentii fides debetur »; ob oculos ponunt huius disciplinae utilitatem, tum ut mysteria a profanatione vindicentur venerandaque reddantur; tum ut catechumenorum animus ad illa discenda excitetur et audiendi cupiditas acuatur. *g)* Haec disciplina in Oriente ad finem usque seculi v, in Occidente ad medium circa sec. vi videtur durasse. (Cf. Hurter, *l. c.*)

32. Argumenta tertiae sententiae.

Primo sunt argumenta contra existentiam disciplinae arcani primis duobus saeculis Ecclesiae. Nam propter persecutionem et edicta Neronis, Christianismus certe, conventus suos clandestine habebat, atque clandestine mysteria et ritus suos celebrabat, ita ut tanquam religio clandestina consideraretur iuxta verba Minucii Felicis (*Octav.*, c. viii-x) : « Latebrosa et lucifugax natio, in publicum, muta, in angulis garrula... Audio eos turpissimae pecudis caput asini consecratum, inepta nescio qua persuasione, venerari... Nescio an falsa, certe occultis ac nocturnis sacris apposita suspicio... Multa praetereo consulto; nam et haec nimis multa sunt quae aut omnia aut pleraque omnium vera declarat ipsius pravae religionis obscuritas. Cur etenim occultare et abscondere quidquid illud colunt magnopere nituntur, cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint? » Attamen clandestinitas haec nullam arcani disciplinam includit; et hoc apparet:

a) Ex ipso Origene (*C. Celsum*, l. I, 2; l. III, 55; l. III, 15). Siquidem cum Celsus qui satis et optime, Christianismum eiusque libros cognoscebat, christia-

nos accusasset eos « facere et docere clanculum » ita ut qui veritatem christianam discere velint « eant cum mulierculis et sodalibus in conclave mulierum, aut in sutoriam officinam, aut in fulloniam », Origenes ei respondet : « Falso Celsus putat sancta nos nostrae doctrinae occultare principia. Quin palam illa praedicamus... eum qui praedictus est, advenisse demonstramus, cum ex vaticiniis de illo editis, quae multa sunt, tum ex Evangeliis apostolicisque scriptis, quae sedulo traduntur iis qui prudenter intelligere illa possunt. »

b) Ex Clemente Alex. (*Cohort. ad Gent.*, 2) et Tertulliano (*Adv. Valent.*, 1, 2). Primus accurate describit paganorum mysteria et absconditos ritus, atque utrumque profundo animi despectu prosequitur. Vellet quidem mysteria illa « sepulcrali honore » decorare, vocat ea « fabulas venaticas » et ait : « Male pereat, quisquis tantae vecordiae hominum generi auctor fuit... Tempus est, ut orgia vestra fraudis ac praestigiarum plena esse demonstremus ; vos si modo initiati estis risu ac sibilis vestras illas fabulas, quibus tantum venerationis tribuitur, prae caeteris excipietis. » Secundus etiam ridet de disciplina arcani apud Valentinianos existente : « Valentiniani... nihil magis curant, quam occultare quod praedicant... Custodiae officium, conscientiae officium est... Eleusina Valentiniani fecerunt lenocinia, sancta silentio magno, sola taciturnitate cœlestia. Si bona fide quaeras, concreto vultu, suspenso supercilio, Altum est, aiunt. Si subtiliter tentes, per ambiguitates bilingues communem fidem affirmant. Si scire te subostendas negant quiquid agnoscunt... Ne discipulis quidem propriis ante committunt, quam suos fecerint... Ideoque simplices notamur apud illos. » Si igitur ambo de disciplina arcani existente penes paganos et haereticos rident, signum

est, disciplinam hanc primis Ecclesiae saeculis non viguisse. Rursus Tertullianus (*De Praescript.*, c. XXVI) ait : « Dominus palam edixit, sine ulla significatione alicuius tecti sacramenti. » Affertur etiam testimonium eius (*Apol. adv. Gent.*, c. VII) dum christianos a criminibus eis falso impositis defendit quasi ipsi « fidem silentii » non haberent, atque si interrogentur « dicunt quae faciunt ». Verum duae expressiones dubium ingerunt. Dum quaerit de revelatione illorum criminum, excludit fuisse prodita crimina illa a christianis « reis » primo per haec verba : « Ab ipsis enim reis non utique, cum vel ex forma omnibus mysteriis silentii fides debeatur. » Secundo, cum quaerat de revelatione facta ab extraneis scribit : « Et unde extraneis notitia ? cum semper etiam piae initiationes arceant profanos...? » Videtur igitur arcani disciplinam quamdam asserere. Denique (*Lib. de Orat.*, c. XXIV) ait : « Non enim contra praeceptum reputamur ab Apostolis factum, qui in carcere audientibus custodiis orabant et canebant Deo, apud Paulum, qui in navi coram omnibus Eucharistiam fecit. » Ubi est ergo arcanum circa Eucharistiam ?

c) Ex factis quibusdam. Nam Plinius (112) (*Epist.*, X, 97) refert nobis de quibusdam christianis coram judice adductis, qui publice et aperte « adfirmabant hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris », et tunc manifestabant ritus omnes, omniaque mysteria religionis christianae, quomodo carmen Christo cantabant, quomodo mos illis erat « coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium », quod nonnisi Eucharistia erat. Pariter S. Iustinus Apologias scribit easque ad Antoninum imperatorem eiusque filios, ad sacrum senatum, necnon ad universum populum romanum, dirigit, ibique aperte et publice loquitur de christianorum mystériis, praesertim vero de Eucharistia. Nulla

igitur disciplina arcani primis duobus saeculis in Ecclesia fuit.

Secundo sunt argumenta faventia existentiae disciplinae arcani, a saeculo tertio usque ad quintum, pro catechumenis. Post persecutionem M. Aurelii, Christianismus magis diffusus fuit, solidiorem organismum adeptus est, ac Ecclesiarum unitas intimior effecta est. Tunc temporis, catechumenatus, de quo antea nulla vestigia inveniuntur, surrexit. Circa catechumenatus naturam habemus :

a) Catechumenatus est haeresi Marcionitarum posterior, neque apud illos viguit. Nam S. Epiphanius (*Adv. haeres.*, l. I, III, 3, 4, haer. 42) : « Mysteria catechumenis cernentibus apud illum celebrantur... Nihil est enim apud illos nisi ludibrio ac risu dignissimum, cum vel mysteriis ipsis astantibus catechumenis, operari non dubitent. » Tertullianus (*De praescript.*, 41) : « In primis quis catechumenus, quis fidelis, incertum est, pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant ; etiam ethnici si supervenerint, sanctum canibus, et porcis margaritas, licet non veras, jactabunt... Ante sunt perfecti catechumeni, quam edocti. »

b) Catechumeni « novitioli » quidam erant, quorum animus, methodo quadam pedagogica formandus erat. Tertullianus. (*Depoen.*, c. VI) «... Novitiolis istis imminet, qui cum maxime incipiunt divinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantiae adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptant ; et dicunt quidem pristinis renuntiare, et paenitentiam assumunt, sed includere eam negligunt. »

c) Catechumenatus est institutio quaedam canonica Ecclesiae, ad haereticorum artes forsitan cavendas.

Modo, propter catechumenatum taliter ortum et a nobis explicatum, necesse fuit, novum quemdam

modum in publica praedicatione, necnon in publico cultu Ecclesiae, oriri ; per quam quidem novitatem, veritates nonnullae catechumenis, qui nondum praeparati erant, tacebantur, atque mysteriorum nonnullorum celebrationi assistere eis non permittebatur. En disciplina arcani, in Ecclesia existens. Haec igitur arcani disciplina, nonnisi catechumenato exurgente, orta est, ideoque nonnisi, methodus quaedam pedagogica fuit. Novitatem vero illam tum in publice praedicando, tum in cultu publice celebrando extitisse pro catechumenis in Ecclesia probatur :

a) Ex Tertulliano (*l. c.*) qui haereticos reprehendit eo quod catechumenis et fidelibus omnia praedicentur « pariter audiunt » atque catechumenus et fidelis omnium mysteriorum celebrationi assistant « pariter adeunt... pariter orant ». Et Origenes (*In Lev.*, hom. x, 10) loquens de reconciliatione operata per sanguinem Jesu Christi, ac verba Christi afferens : « Hic sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum, » prosequitur : « Novit qui mysteriis imbutus est, et carnem et sanguinem Verbi Dei. Non ergo immoremur in his quae et scientibus nota sunt, et ignorantibus patere non possunt. »

b) Ex S. Athanasio (*Apol. c. Arianos*, 1, 11) Cum orta esset controversia quaedam, circa factum aliquod quo asserebatur Macarium proiicisse species consecratas, S. Athanasius, factum examini subiciens, haec scribit « Poculum autem mysticum, quale aut ubinam a Macario confractum est ? Hoc enim sursum deorsum circumeuntes jactitant... Nec pudet eos coram catechumenis, et, quod peius est coram ethnicis mysteria haec traducere : cum oporteat, ut scriptum est, Sacramentum regis abscondere ; et ut Dominus praecepit : Nolite sancta dare canibus, etc. Nefas enim est mysteria apud

non initiatos traducere, ne ethnici quidem horum ignari, irrideant ; catechumeni vero ad curiositatem deducti scandalizentur. »

c) S. Joa. Chrysostomus (*In Epist. I ad Cor.*, hom. XL.) « Quid ergo dicit Paulus? Vobis primum, qui mysteriis estis initiati, volo in memoriam revocare, eam dictionem, quam in illa vespera jubent vos dicere qui mysterio initiant... Et volo quidem aperte hoc dicere : non audeo autem propter eos qui non sunt initiati : ii enim expositionem nobis faciunt difficiliorem, ut qui nos cogant vel non aperte dicere, aut eis arcana enuntiare. Sed tamen dicam, quoad eius a me fieri poterit, tecte et adumbrate. »

d) S. August. (*Serm.*, XLIX, 8 ; CXXXII, 1.) « Ecce post sermonem fit missa catechumenis : manebunt fideles, venietur ad locum orationis... Dominus Jesus Christus exhortatus est promissione vitae aeternae ad manducandum carnem suam et bibendum sanguinem suum, Qui audistis haec, nondum omnes intellexistis. Qui enim baptizati et fideles estis, quid dixerit, nostis. Qui autem inter vos adhuc Catechumeni, vel Audientes vocantur, potuerunt esse cum legeretur audientes, numquid et intelligentes?... Quis contra te clausit, ut hoc nescias ? Velatum est; sed si volueris, erit revelatum. Accede ad professionem, et solvisti quaestionem. Quod enim dixit Dominus Jesus, jam fideles noverunt. Tu autem Catechumenus diceris, diceris Audiens, et surdus es. » Tertio, sententia haec docet, quod saeculo quinto cessante catechumenatu, disciplina quoque arcani cessavit, quae propter catechumenorum methodicam formationem orta est in Ecclesia. Ultimum testimonium in favorem existentiae disciplinae arcani invenitur in Epistola Innocentii I (19 Mart. 416) ad episcopum Eugubinum per haec verba « verba vero

dicere non possum ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere... Reliqua vero quae scribi fas non erat, cum adfueris, interrogati poterimus dicere. »

INDEX PARTIUM

De evangeliorum inspiratione

1. Prologus..... VII

CAPUT 1

De Inspirationis natura

2. Variae inspirationis divinae definitiones.—3. Natura inspirationis divinae juxta P. Hurter, Pesch et d'Hulst.— 4. Natura inspirationis juxta P. Zanecchia et P. Lagrange. — 5. Natura divinae inspirationis juxta, E. Mangenot et Calmes. — 6. S. Thomae mens circa inspirationis naturam investigatur. — 7. — Hackspill verba et conclusio..... 1

CAPUT 2

Evangelia divinitus inspirata sunt

8. Prologus. — 9. Ex Ecclesiae auctoritate et Traditione necnon ex rationis momentis, probatur divina inspiratio Evangeliorum. — 10. Dubium solvitur. 11. Corollaria..... 27

CAPUT 3

De inspirationis extensione

12. Prologus. — 13. Sententiae limitantes inspirationem realem recitantur. — 14. Praedictarum sententiarum critica. — 15. Res et sententiae omnes Evangeliorum divinitus inspiratae sunt. — 16. An inspiratio oralis idest verborum, S. Scripturae sit asserenda. — 17. Novissima opinio E. Leclair. 35

De Dogmatis evolutione

ART. 1

Quid sit dogma, quid et quotuplex evolutio

18. Prologus. — 19. Quid nomine « dogmatis » intelligatur. — 20. Recentissimae quaedam dogmatis conceptiones enumerantur. — 21. Quid évolutio sit, et quid sub « dogmatis evolutione intelligatur ». 59

ART. 2

An evolutio aliqua in ecclesiae dogmatibus sit admittenda.

22. Prologus. — 23. Argumenta sententiae asserentis evolutionem dogmatis, cum eiusdem dogmatis mutatione. — 24. Argumenta sententiae asserentis dogmatis evolutionem sine ulla substantiali dogmatis mutatione. — 25. Primae sententiae critica. — 26. De S. Thomae mente..... 81

De Arcani disciplina

27. — Prologus. — 28. Disciplinea arcani, notio, finis et definitio. — 29. Sententiae diversae circa « disciplinae arcani » existentiam. — 30. Argumenta primae sententiae. — 31. Argumenta secundae sententiae. — 32. Argumenta tertiae sententiae..... 93

INDEX ALPHABETICUS

A

Agobardus episcopus de extensione inspirationis 16.
Allo, quid sit dogma 20.
Ambrosius (S.) de Evangeliorum inspiratione 9. de ipsa inspiratione 17.
Arcani disciplina quid 27. eius definitio et finis 28.
Athanasius (S.) de arcani disciplina 32.
Augustinus (S.) de véritate Evangelii 13, de totali inspiratione 15. de arcani disciplina 31-32.

B

Bartolo (di) de extensione inspirationis 13, 14.
Basilius (S.) de disciplina arcani 31.
Batiffol de arcani disciplina 29.
Bellarminus de arc. disciplina 28.
Berthier de extensione inspirationis 16.
Bingham de disciplina arcani 27.
Blondel de theoria immanentiae 20.
Bonaccorsi de inspiratione 7.
Brucker de inspiratione 2 de eius natura 7. de modo loquendi Scripturae 14.

C

Calmes de inspiratione 2 inspirationis natura 5, de inspiratione verbali 16.
Canus de extensione inspirationis 14-15. de dogmatis evolutione 24 de arcani disciplina 28. de eius extensione 29. argumenta eius 30.
Chrysostomus (S. Ioa.) de arcani disciplina 30-31-32.
Clemens Alex. de arcani disciplina 32.
Cyrillus (S.) Hieros. de arcani disciplina 30-31.

D

Daillé de arcani disciplina 28.
Desyardins quid sit dogma 20.

E

Epiphanius (S.) de catechumenis 32.
Estius de extensione disciplinae arcani 29.
Evolutio quid et quotuplex sit 21-22. An detur 24-25.

F

Franon quid sit dogma 20.
Franzelin de inspiratione 2.

G

Girerd de inspiratione 6.
Günther quid sit evolutio 21.
Granelli de inspiratione 7.
Grannau de inspiratione 7.
Gregorius (S.) Naz. de totali inspiratione 15.
Gregorius (S.) Nyss. Quid dogma sit 18.
Groot (de) de natura inspirationis 6. de extensione eius 16.

H

Hackspill de inspiratione 7.
Harnack quid sit dogma 18 de eius evolutione 23.
Hieronimus (S.) de Evangelii inspiratione 9. de modo loquendi Scripturae 14. de totali inspiratione 15. de inspiratione 17.
Hoepfl de inspiratione 7.
Holghey de inspiratione 7.
Holden de extensione inspirationis 7-13.
Hulst (d') de natura inspirationis 3.
Hummelauer de inspiratione 7.
Hurter de d. inspiratione 3. de disciplina arcani 28.

I

Ignatius (S.) de Evangelii inspiratione 9.
Innocentius I de disciplina arcani 30-31.
Inspiratio quid 5. eius extensio 12 quotuplex sit 12.
Ioannes Chrys. (S.) de totali inspiratione 15.
Irenaeus (S.) de Evangeliorum inspiratione 9.
Iulius I de arcani disciplina 31.
Iustinus (S.) de Evangelii inspiratione 9. de arcani disciplina 32.

L

Labeyrie quid sit dogma 18.
Lagrange de inspiratione 2. de inspirationis natura 4. de mente d. Thomae circa inspirationem 6. de modo loquendi Scripturae 14. de inspiratione verbali 16-17. de evolutione dogmatis 21.
Leclair de inspiratione Scripturae 17.
Lenormant de extensione inspirationis 13.
Leo XIII de inspiratione 2. de natura inspirationis 5. Evangelia sunt inspirata 9. de assistentia divina 11. de extensione inspirationis 14.
Lessius de natura inspirationis 5.
Levesque definitio inspirationis 2. de extensione inspirationis 16.
Lirinensis Vinc. quid dogmatis evolutio 21. datur evolutio quaedam 24.
Loisy quid sit dogma 18, quid dogmatis evolutio 21-22.
Lotz de extensione inspirationis 16.

M

Mangenot de natura inspirationis 5.
Michel quid sit dogma 20.
Minucius Felix de disciplina arcani 32.
Motte (de la) quid sit dogma 20.

N

Negri de dogmatis evolutione 23.
Newman de inspirat. extensione 13. quid sit dogma 18 quid dogmatis evolutio 21.
Nogara quid est dogma 20.

O

Origenes de inspiratione 17. de arcani disciplina 32 de Catechumenis 32.

P

Patrizi de extensione inspirationis 16.
Pégues quid est dogma 20.
Pereira de inspiratione 17.
Pesch de inspiratione 2. de natura inspirationis 3. de inspiratione 7.

de Evangeliorum inspiratione 9. de extensione inspirationis 13-16 de modo loquendi Scripturae 14 quid sit dogma 18. quid dogmatis evolutio 21. contra evolutionem dogmatis 25. de arcani disciplina 29-30.
Pfaff de disciplina Arcani 27.
Pighius de inspiratione 17.
Plinius de ritibus christianorum 32.
Prat de inspiratione 7.

R

Rohling de inspirationis extensione 13. Roy (le) quid sit dogma 20.

S

Semeria de extensione inspirationis 13. quid sit dogma 20.
Sertillanges quid sit dogma 20.
Simar de extensione inspirationis 16. Schäfer notio inspirationis 1.
Schelstrate de disciplina arcani 28.
Scotti de inspiratione 7.

T

Tanquerey de extensione inspirationis 14.
Tertullianus de Evang. inspiratione 9. de dogmatis evolutione 24. de arcani disciplina 31-32. de Catechumenis 32. Tutzel de disciplina arcani 28.
Tixeront quid sit dogma 19. quid dogmatis evolutio 21. Thomas. (S.) de natura inspirationis 6. de modo loquendi Scripturae 14. de inspiratione verbali 16. circa evolutionem dogmatis 26.
Tullius quid sit dogma 18.
Theodoretus de disciplina arcani 30.

V

Wehrlé quid sit dogma 20.

Z

Zanecchia de inspiratione 2. de eius natura 4. de mente S. Thomae 6. de P. P. testimoniis 9. de extensione inspirationis 16.
Zigliara inspiratio quid sit 4. de mente S. Thomae 6. de Evangeliorum inspiratione 9. de inspirationis extensione 16.

Sens. — Société Nouvelle de l'Imprimerie Miriam

DESCLÉE & C.
PIAZZA GRAZIOLI N. 4
ROMA 117

220.15
F 323
26271

AUTHOR FEI, REGINALD M., O. P.

TITLE De Evangeliorum Inspiratione
De Dogmatis Evolutione
De Arcani Disciplina

DATE DUE	BORROWER'S NAME
NOV 24	Donohue
	Harkin
	STORAGE - COS

26271